
2
6
488







82

A

CATALOGVS VIRORVM ILLVSTRIVM

Congregationis Vallisumbrosæ

DICATVS

Eminentiss.^mo ac Reuerendiss.^mo

PRINCIPI

D. LAVRENTIO CARDINALI DE ALTERIIS.

CATALOGVS SANCTORVM,

ET

PLVRIVM VIRORVM ILLVSTRIVM

Qui veluti Myſtici Flores Effloruerunt in Valle Vmbroſa.

Ordine Alphabetico compendiosè deſcriptus

A D. VENANTIO SIMII VALLVMBROSANO

Sacrę Congregationis Indicis Conſultore Theologo,

Etiam Tertiò in Romana Curia Procuratore Generali ſuæ Religionis

Tempore Reuerendiſſimi, ac Digniſſimi Generalis

D. LAVRENTII POLTRI FLORENTINI.

ROMAE, Ex Typographia Ioſephi Vannaccij, 1693.

SVPERIORVM LICENTIA.

EMINENTISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI
D. LAVRENTIO
DE ALTERIIS
Sanctę Rom. Ecclesię
CARDINALI DIACONO.
Titulo Sanctæ MARIAE in Aquiro.

E Latebris Vmbrosæ Vallis exposcunt in lucem prodire Mystici Flores Vallumbrosani, EMINENTISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS, nec melius prodire possunt,

ſunt, quàm ſub luce ſyderum Al-
teriorum, ſub quorum benigno
influxu hiſce noſtris temporibus
videntur amplius refloreſcere.
Odor etiam huiuſmodi florum, vt
potè omninò Symbolicus cum illo,
qui de Tuis manat Virtutibus, vn-
de Chriſti bonus odor es in omni
loco, hoc ipſum poſtulat, ac re-
quirit; Meritò igitur eos in præ-
ſenti Catalogo, veluti in manipu-
lo collectos EMINENTIAE VE-
STRAE reuerenter offerre decre-
ui, & in hac Florum Collectio-
ne ſimul offerre fructum exiguum
laboris mei, præcipuè cum nulli
melius debeantur Flores, & fructus
quam

quam Tibi, qui in florido Iuuentutis vere, morum Autumnalem maturitatem tam benè complecteris. Excipias quæso oblationem meam, EMINENTISSIME PRINCEPS ea benignitate, qua me ipsum soles excipere; dum ego coram tanto Patrono, & Purpurato Principe humillimè inclinatus debiti causa obsequij vsque ad Cineres esse protestor.

EMINENTIAE VESTRAE

Humillimus, & Addictissimus Seruus
Don Venantius Simij.

FLO-

FLORES MEI
FRVCTVS HONORIS,
ET
HONESTATIS.

Ecclesiastici Cap. 24.

AD LECTOREM.

SCRIBENDA potiùs facere, quàm facta scribere Veterum Monachorum praecipua cura fuit, Amice Lector; Hinc est à nobis desiderari, non modò eorum plurima praeclara gesta, sed etiam multa nomina eorumdem, qui per anteacta

ſæcula in Virtutibus floruere; Hæc omnium Familiarum Monachalium communis eſt quærela, ſed præſertim Familiæ Vallumbroſanæ, in qua multò plures certè floruerunt Homines Præclari, quàm quos ante oculos tibi exponã in hoc breui Catalogo contemplandos: At ſi ex vngue Leonem licet conijcere, Conijcias vel hinc oportet, Benigniſſime Lector, Vallumbroſanam Congregationem fuiſſe, & eſſe in Eccleſia Dei valdè Illuſtrem, vtpotè Illuſtrium Virorum Parentem valdè fæcundam. Quòd ſi illam conſideremus vti compartem, & membrum, qualis ipſa eſt, Cluniacenſis Inſtituti, quem verè profeſſus fuit Sanctus Pater Io: Gualbertus, & quem ipſe reſtaurauit in Valleumbroſa, Vndè à loco Reſtaurationis eius Filij dicti ſunt Vallumbroſani, profectò conijceremus, eſſe multò Illuſtriorem, imò in ſuperlatiuo gradu

Illu-

Illuſtriſſimam, ſub hac enim conſidera-
tione fiunt ei communes omnes Sancti,
omnes Beati, Pontifices, Cardinales,
Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates Cla-
riſſimi, Doctores, & Scriptores Cele-
berrimi, quos in magno numero recen-
ſet Volumen illud rarum, cui titulus
Bibliotheca Cluniacenſis, præcipuè cùm
Vallumbroſani dicantur verè apud Hi-
ſtoricos Reliquiæ Cluniacenſium in
Italia, & huiuſmodi communicationis
habetur manifeſta praxis in alijs Regu-
larium Ordinibus erga ſuos reſpectiuè
Reformatos, vt vocant, quibus parti-
cipantur omnes Illuſtres Viri, qui ſub
eadem Regula militarunt, licet profeſ-
ſi non fuerint Reformationes ſubalter-
nas. Ego verò tranſmittendo laudatos
Heroes, qui nobis debentur per parti-
cipationem vnicè ſermonem inſtituo de
illis, qui per ſe, propriè, & ſtrictius ſunt
Vallumbroſani procedentes videlicet á

Valle Vmbroſa poſt ibi à Sancto Patre Io: Gualberto Reſtauratam Cluniacenſium Diſciplinam ſuis temporibus in Italia pene collapſam. Porró Veritates huius eruditionis hiſtoricæ eruuntur ex Probatiſſimis Auctoribus, Libris memoriarum Autenticis, & Archiuiorum, Antiquis Monumentis, & citabuntur præcipuè in margine. Vale.

All'Eminentissimo, e Reuerendissimo Signor CARDINAL LORENZO ALTIERI, *A cui è dedicato il Catalogo degl'Vomini Illustri della Religione di Vallombrosa dal Reuerendissimo Simij Procurator Generale di essa.*

SONETTO.

ALla Porpora vostra, al vostro Nome
Offre l'OMBROSA VALLE i proprij Fiori,
Acciò co' sacri, e mistici colori
Formin nobil Corona à vostre Chiome.
Delle nubi saran l'ingiurie dome,
S'auran da Vostre Stelle almi ristori,
Crescerà il Fior, che il Sacro Seggio Infiori
Delle Vostre Virtù vedran le Rome.
Lungi dal Diuo Odor n'andrà la morte,
Perderà di bellezza, e l'oro, e l'ostro
Se la Porpora vostra auran Consorte.
Fulmini i strali suoi critico mostro,
Che colpo non farà, s'auranno in sorte
Di crescer sotto l'ombra al LAVRO Vostro.

Vmilissimo Seruo
D.Pier Girolamo Mazzoleni.

AL

AL MEDESIMO.

Anagramma Numericum.

LAVRENTIVS DE ALTERIIS, 220.
Præstabit Diademata Vallis 220.

EPIGRAMMA.

E' Campis collecta suis Tibï germina præstat
LAVRENTI, & Flores Vallis amęna sacros.
Floribus vt sparsis niteat Tua Purpura Circum,
Vtque Tuis formet germine serta Comis.
Sed quid eget sparsis Tua Purpura Floribus; inquã
Cum Tu Virtutum Flosculus esse potes?
Et quid eget sertis, & quid Diademate crinis
Dum, ALTERI, Lauris cingeris ipse Tuis!

Vmillimus Seruus
D.Petrus Hieronymus Mazzoleni.

Al

Al Reuerendissimo Padre Procuratore Generale della Religione di Vallombrosa D. VENANZIO SIMI I Autore del Libro degl'Vomini Illustri di detta Religione.

SONETTO.

SIMIrabile è l'Opra in cui traete
Dall'Ombre i nostri Eroi à eterna vita,
Che da si dotto stile ben n'addita,
Che dall'Altere Stelle i lumi hauete.
E mentre i fatti egregj altrui scriuete,
I vostri à meditar la penna inuita,
Onde auuerrà, che co'l suo volo ardita
Porti l'Opere vostre à sacre mete.
Perderà prima il tempo i Lustri suoi,
Che l'opre vostre, or che di raggi ornate
Illustrissimi fanno i nostri Eroi.
Ma scorgo bene in quell'Alme Beate
Vn solo error, nè sò capir, che voi
Fra tant'Vomini illustri sol mancate.

Vmilissimo Suddito
D. Pier Girolamo Mazzoleni.

In

In lode dell' Autore, che hà dato alla luce le Vite de' Santi, & Vomini Illustri Vallombrosani, e dedicate all' Eminentissimo, e Reuerendissimo Signor

CARDINAL LORENZO ALTIERI, che fà per Arme le Stelle.

SONETTO

GIà sepolti teneua in cupi Abissi
L' ombrosa Tomba del suo Prato i Fiori,
E terrebbegli ancor, se dagl' Orrori
Nuouo Omer non traeua i sacri Vlissi.
Ruppe d' Ercole i segni immoti, e fissi
Del mio Cigno la fama, e tra gl' Albori
Della primïera Aurora, e tra ï fragori
Delle sfere Celesti il suono vdissi.
Anzi quell' Alme, che lassù nel Cielo
Godon de' merti loro il bel Tesoro,
Corrispondon con eco al santo zelo.
Mentre ALTERE nel Ciel di Sacro ALLORO
Si mostran coronate, e senza velo
Frà le STELLE segnati i nomi loro.

Vmilissimo Seruitore
D. Ermenegildo Paoletti.

PROTE-

Proteſtatio Auctoris.

CVm fel. Recordat. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij Anno 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iunij Anno 1634. in quo inhibuit imprimi libros Hominum, qui Sanctitate, aut Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſsioni bus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, Idem autem Pontifex die 5. Iunij 1631. ità explicauerit, vt nimirùm non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, & in fine libri, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, Sed Fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua

*** par

par eſt inſiſtendo, profiteor me non alio ſenſu, quidquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Diuina, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit, aut officij, ſeu cultus decore inſigniuit.

APPRO-

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus non minus diligentèr, quàm delectabilitèr vidi, & legi Catalogum hunc Virorum Illuſtrium Congregationis Vallisumbroſę doctè, & piè elaboratum ab erudito Calamo Reuerendiſſimi D. Venantij Simij in Curia Romana bis iam, & nunc tertiò Procuratoris Generalis Vallumbroſani, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris Theologi; Et in huiuſmodi Paginis nihil Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus diſſonum reperi; Imò multa in eo cognoui ad pietatem excitandam, moreſque componendos plurimum apta. Quapropter in lucem edi poſſe exiſtimo, vt litterarum humaniorum præcipuè ſtudioſi vnà cum bona eloqutione, & ſtylo Auctoris, vitę precepta ſimul addiſcant. Romę ex Monaſterio Sanctæ Praxedis die 13. Auguſti 1692.

D. Ioſeph Antonius Restoni Lector In Collegio Sanctæ Praxedis manu propria.

APPROBATIO.

ERuditas ſimul, ac Pias P. Procuratoris Generalis D. Venantij Simij Elucubrationes, quibus & breuitate, & amænitate ſermonis Geſta Sanctorum, Venerabilium Patrum, & Virorum Illuſtrinm Congregationis Valliſumbroſæ in hoc libro deſcribuntur attentè perlegi ego infraſcriptus, & cum cognouerim ab huiuſmodi Lectione non minus erudiri poſſe intellectum pro conſequendis Antiquitatis cognitionibus, quam inflammari voluntatem pro acquirendis Virtutibus iuxtà exempla Maiorum; Ideò cenſeo edendas eſſe in lucem, & typis mandandas. Ex Monaſterio Sanctę Praxedis de Vrbe hac die 13. Auguſti 1692.

Ego Don Paſchalis Pagnani in Collegio Sanctæ Praxedis Magiſter manu propria.

D. LAV-

D. LAVRENTIVS POLTRI
Congregationis Vallisumbrosæ Abbas Generalis.

CVm opus inscriptum, *Catalogus Sanctorum, & pluriũ Virorum Illustrium, qui veluti &c.* à Patre D. Venantio Simij Nostrę Congregationis in Romana Curia Procuratore Generali compositũ, aliquot præfatæ Nostræ Congregationis Theologi ex Nostra Commissione recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs ad quos spectat ità videbitur, cuius rei gratia has litteras manu Nostra subscriptas, sigilloque nostri muneris firmatas dedimus. In Monasterio S. Bartholomæi de Ripulis propè, & extra Florentiam Nostra solita Residentia die 30. Augusti 1692.

Don Laurentius Poltri qui supra &c.

APPRO-

Approbatio Reuiſoris

IVſsu Reuerendiſſimi Patris Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Librum, cui titulus, *Catalogus Virorum Illuſtrium Congregationis Valliſumbroſanæ &c.* Authore Reuerendiſſimo Patre Abbate, ac eiuſdem Congregationis in Vrbe Procuratore Generali D. Venantio Simij, Magna animi alacritate percurri, in quo non ſolùm quidquam reperi Catholicæ Fidei, aut bonis moribus diſſonum, ſed illum omni ex parte ſacra eruditione, ac pietate refertum comperi, vndè non exiguam allaturum vtilitatem, ac decorem tùm Illuſtriſſimæ Congregationis Valliſumbroſæ (de Eccleſia Catholica tam benè merentis) Profeſſoribus, ex qua tot, tanti-

tantique prodiere celeberrimi Heroes, tùm etiam omnibus Ecclesiasticarum Antiquitatum studiosis censeo. Quapropter dignissimum, vt in lucem prodire possit existimo. Ex Pœnitentiaria Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe die 27. Martij 1693.

Fr. Seraphinus Bertolinus Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum, ac Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe Pœnitentiarius manu propria.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Apostolici Palatij Magistro.

Sperellus Episcopus Interamnen̄. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Palatij Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

CATALO-

CATALOGVS VIRORVM ILLVSTRIVM.

A

I.

ADAM, ſiue Adamus nomine vocabatur vnus ex Diſcipulis S. Ioannis Gualberti Abbatis, vt videre eſt apud Didacum de Franchis, à quo & Epiſcopus aſſeritur cuiuſdam Ciuitatis in Inſubria, & ſacris Infulis ornatus refertur etiam à perue-

Hiſt. S. Ioa. Gualberti lib. 5. pagin. 117. Arbor Aſcanij Tambur. col. 1.

tustis Scripturis existentibus in Monasterio Sancti Sepulchri de Astino propè Bergomũ, & ab Ascanio Tamburino in sua Arbore Vallumbrosana. Præconium autem singulare præcellentis doctrinæ, & probitatis eximiæ huius dignissimi Præsulis ex eo præsertim colligitur, quòd ad Præsulatum fuerit assumptus à Sanctissimo Gregorio Papa VII. Pontifice Maximo, & in ijs temporibus, quando ad Pastorale munus potissimùm deligebantur viri singulari virtute; & scientia præditi, quippequi essent idonei ad consutandas verbo, & exemplo, & extirpandas à Diœcesibus suis Nicolaitarum, & Simoniacorum hæreses, quæ tunc per Insubriam, & Ethruriam præcipuè grassabantur.

II.

B. Albertus Monachus, vnus item ex Discipulis Sancti Io:Gualberti præpositus à Sanctissimo Abbate Institutore super Cellam Vinariam, & Coquinam, Ministeria de se quidem vilia, & abiecta, sed præterquam quod secundum desideria Beati Alberti, qui elegerat abiectus esse in domo Dei, valdè honorifica, & sublimia reddita sunt ab altitudine, & sublimitate finis, cui illa exercebantur; nempè in finem placendi, & inseruiendi

uiendi

uiendi Domino Altiſſimo, nec ad paruum tempus in huiuſmodi officijs Deo voluit inſeruire, & Religioni, ſed ad diutinum ſui contemptum omnes ferè ſuæ vitæ dies in ijſdem conſumare, Profectò ad annos quadraginta fertur illa exercuiſſe, donec nimirum impotens eſt effectus ad illa exercenda per decrepitam ſenectutem. At ſi ceſſauit ob impotentiam ab exercitio tam demiſſo, nunquam ceſſauit ab eius deſiderio, quod ei imputabatur ad ęquale meritum coram Deo, vndè à Deo fideliſſimo remuneratore obtinuit repromiſſa humilibus præmia, exaltationem ſcilicet ad Thronum Gloriæ, & Aeterni Regni, ad quem fuit ſublimatus circa finem primi ſæculi Vallumbruſanæ Religionis.

Didacus de Franch. in Hiſt. S. Ioa. Gualberti lib. 5. p. 117.

Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 4.

Eudox. Lucatell. lib. 2. cap. 6. pa. 103.

III.

S. Albertus, Patria Bononienſis, profeſſione Monachus Vallumbroſanus, & Abbas illius Monaſterij, quod iuxta Bononiam Sãctæ Mariæ de Monte Armato nuncupatum poſſidebat olim Congregatio Vallisumbroſæ, reperitur deſcriptus, & quidem iure merito inter alios Sanctos, qui deſcribuntur in Martyrologio Benedictino, vbi pronunciatur Feſtum eius pro die 20. Maij hoc pacto:

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 2. pag. 169.

Decimo quarto Kalendas Iunij. Bononiæ in Monasterio S. Alberti depositio S. Alberti Abbatis Ordinis Vallisumbrosæ, qui nomen Monasterio ex suo nomine reliquit. Mirificauit hunc Seruum suum Dominus præcipuè gratia medendi sterilitatem terræ; Cùm enim adhuc viuens Albertus benedictionem impartiretur super steriles agros veluti è benedicente manu non fabulosam, sed veram prorsus effunderet cornucopiam Amalteæ, omnium vbertate frugum, & fructuum campi cęteroqui infœcundi replebantur Quo factũ est, vt Agricolæ illius Regionis meliori certè consilio, quàm Ethnici iam ad suum Iouem, & Cererem, confugerent ad Albertum impetraturi seminum suorum optatam fæcunditatem. Obijt Sanctus Anno 1245. vt subditur in annotationibus ad prædictum Martyrologium Benedictinum, & confirmatur ab alijs Scriptoribus; Nec cessarunt post mortem huiusmodi miracula, mos enim inualuit apud incolas Bononiensis præsertim Territorij accedere frequenter ad Ecclesiam Sãcti Alberti, & antequam seminarent semina sua, illuc ea deferre, vt super eius Sepulchrum benedicerentur à Monachis Vallumbrosanis ibidem existentibus, qua sacra impleta cæremonia

Bolland. tom. 5. fol 254. Eudox. Lucatell. lib. 2. cap. 31. pag. 235.

monia, per interceſſionem, & merita S. Alberti Abbatis eædem ſequebantur miraculoſæ fæcunditates, ac priùs, vndè magnum Alberti Nomen in illa Regione erat; Refert inſuper Eudoxius Locatellus, quòd Anno 1404. pulſis ex eo Monaſterio Monachis Valliſumbroſæ, quidam Ciuis Bononienſis Ioannes Beccharij dictus in commendam pro vno ex ſuis filijs Abbatiam illam obtinuit, & non benè vtens gratia Sedis Apoſtolicæ in ea adminiſtranda auſus etiam eſt in deſtructionem Eccleſiæ mittere fabros cęmentarios, qui marmorea cęmenta ſacri ædificij extraherent, vt illis ornaret Palatium ſuum. Sed ecce prodigium! Artifices illi quantumuis omnem adhiberent artem, ac vim ad lapides extrahendos, nunquam potuerunt nec vnum quidem ex eis loco mouere, quod miraculum palàm vno ore Bononienſes Sancto tribuerunt Alberto Protectori illius Monaſterij.

IV.

B. Albertus huius Nominis tertius Sanctus ex Ordine Vallumbroſano, vt ferunt monumenta Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Creſpino, vbi ipſe vitam duxit, & Sanctiſſimè obijt anno 1270. cum eſſet Sacerdos in Sæculo,

culo, & peregrinationis causa Alpes Marradij pertransiret, ad quarum radices sita est prædicta Abbatia, ad eam diuertit, & admiratus Monachorum ibi degentium sanctimoniam, non est cunctatus Vallumbrosanum Habitum enixis precibus ab eis postulare, ad quem libenter admissus, & per manus Abbatis illicò indutus tantùm in Regulari obseruantia breui profecit, vt licèt omnium in Religione nouissimus reliquis veteranis Patribus exemplar esset Monasticæ Disciplinæ; Sic de die in diem procedens, & de virtute in virtutem viuens sibi comparauit venerationem illam, quam deindè post eius transitnm vti Viro verè Sancto populi meritò detulerunt. Scripturæ Monasterij Crispinensis, ex quibus habentur memoriæ huius Beati Viri asseruantur hodie in Archiuio Sancti Bartholomæi de Ripulis, quo translatæ fuerunt, quando per Sedem Apostolicam Abbatia illa fuit commendata octuaginta circiter ab hinc annis.

Antiqua Monumenta Crispinensis Abbatiæ, Archiuium Ripulen.

V.

Venerabilis Alexius de melioribus Abbas inter meliores optimus, quam ab adolescentia professus est morum integritatem, ipsam ad vltimum vsque vitæ spiritum constanter

reti-

retinuit, In Regularis disciplinæ studio ita clarus, vt pro irreprehensibili propemodum haberetur ex publico testimonio etiam illorum, qui de industria obseruabant ad Censuram eius acta, & viuendi formam, dicere soliti, se numquam inuenire potuisse Censuræ materiam, aut quid in eo verè accusarent, & reprehenderent. Propterea illi traditæ semper fuerunt in Regimen primariæ Ordinis Abbatiæ, in quibus viget Monasticæ Disciplinæ rigor, vt scilicet sub tanti Præsulis cura ille conseruaretur in suo robore,& augeretur magis,quod omninò adimpletum est, comprobato per experientiam facto. Vnde fælix nimis dicenda foret Religio Vallumbrosana (vtor verbis proprijs à me ipso olim auditis de ore Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Caietani tunc Apostolici Nuntij apud Serenissimos Ethruriæ Principes) si septem alios haberet Abbates Abbati de Melioribus in virtute, & zelo pares ipsi coæuos: Pares etiam vix habuit Alexius in linea scientiæ, & Eruditionis, & in Professione Sacri Concinatoris, quod Apostolicum munus in multis Italiæ Ciuitatibus laudabiliter admodum obiuit tanto quidem cum populorum applausu; & concursu, vt ad excipiendos auditores

Lib. Memoriarum Cœnob. Vallis Vmbrosæ, Sanctissimæ Trinitatis, & Passiniani, Archiuium Ripulen.

tores vix essent satis ampliora Templa . Demum ætate grauis post benè administrata Monasteria, & primaria Religionis officia nempè Secretarij Ordinis, & Vicarij Generalis, ac Definitoris Generalis plenus meritis obdormiuit in Domino Idibus Aprilis anno 1692. ætatis suæ 77. in Monasterio Passiniani, vbi corpus eius in loco particulari in signum particularis erga ipsum æstimationis, ac beneuolentiæ fuit humatum . Spiritus verò Alexij, cui veluti alteri Alexio Romano non defuit sua scala, sed hæc scala fuit mystica Iacob, per eius gradus ascendit ad Dominum innixum scalæ.

V I.

Venerabilis Almarius, sextus Generalis Vallisumbrosæ, Generalatum ingressus est anno salutis 1095. & quidem magno cum applausu Monachorum, & exterorum, æquè enim ipse intra claustra, quàm extra venerabilem se se præbuit raris dotibus suis . Ipsi Pontifices Romani permagni eum æstimarũt, & in primis Vrbanus II. vsus est eius opera in Schismate Gibertino ad infringendam videlicet Giberti Episcopi Reuennatis contumaciam, qui fretus potentia Philippi Primi Regis Gallorum, Et Enrici Quarti Impera-

Lignum Vitæ tom 1. lib. 1. pag. 53. Bernard. del Sera in suo Compend. pag. 5.

pera-

peratoris sedem Petri inuadere, & occupare conabatur; Et quidem valdè vtiles experta est Romana Ecclesia labores Almarij, sicut valdè vtile experiebatur regimen eius Vallumbrosana Religio, & vtilius in dies fuisset experta si diutiùs ipse vixisset, sed diù non vixit in Generalatu, nam nouem supra annum decursis mensibus post susceptum onus ab Ecclesia militante, pro cuius vero tuendo capite strenuè decertauerat, traslatus est ad Ecclesiam Triumphantem die 5. Settembris anno Christi 1097. vt videre est apud Scriptores Ordinis.

Locatell. lib. 2. cap. 9. pag. 195.

VII.

Ambrosius Mutij ex Monacho Vallumbrosano Sancti Sepulchri de Astino propè Bergomum electus fuit Episcopus Bergomensis circa an. 1098. Bartholomæus de Peregrinis in sua Vinea Bergomensi cùm representasset cap. 27. depositionem ab illa Episcopali Sede Arnulphi Episcopi Simoniaci, & à Synodo Mediolanensi anathematizzati sic ait cap. immediatè sequenti. *Cui successit, nempè Arnulpho, Ambrosius Mutius Ciuis Bergomensis Monachus Astinensis huius nominis tertius, qui huic Vineæ diligenter præfuit annos 30., Menses sex dies 14. & obijt die 22.*

Vinea Bergomen. par. 1. cap. 28. Archiuium Astinens.

Octobris 1128. Citat autem ibi Auctor ad confirmandam veritatem Historiæ Chronicon præfatæ Abbatiæ de Astino, Kalendarium Episcoporum Bergomensium, & Librum de situ Vrbis Bergomi in cap.7.à Moyse Mutio editum.

VIII.

Venerabilis Ambrosius decimus Generalis Cõgregationis Vallisumbrosæ à Regimine eiusdem Congregationis ad regendam Ecclesiam Florentinam, postulante Clero, & Populo, assumptus est anno 1155. ab Hadriano IV. Pontifice Romano. Meminere huius Episcopi Abbas Vghellus, Bernardus del Sera, Eudoxius Locatellus, & Arnoldus Vuion in suis rexpectiuè operibus, & historijs laudantes eum omnes à singulari præsertim pietate, & misericordia erga pauperes, quorũ miserias in omni proportionaliter gradu subleuandas curauit; In gradu autem Episcopali multò melius satisfecit huiusmodi pietatis officio, Vndè Pater Pauperum in Diœcesi Florentina potuit iure merito conclamari; Hac Sacra Mercimonia thesaurizzans sibi Thesauros in Cœlo, ad illos in Cœlesti Patria possidendos vocatus est anno 1158. die 26. Maij cum præfuisset eidem Ecclesiæ annos duos menses nouem

Italia Sacra tomo 1. pag. 124.
Del Sera in suo Compendio pag.7.
Lign. Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 53.
Locatell. lib. 2. cap. 19. pag. 217.

uem dies ſexdecim: Dixi illum Epiſcopum, non Archiepiſcopum, quia Cathedralis Florentina tunc temporis non erat Metropolitana, talis enim declarata fuit poſtea à Martino Papa V. de anno 1421. vt refert Alphonſus Ciacconius in vita eiuſdem Pontificis in hæc verba. *Inſtantibus Romanis, vt Martinus, qui Florentiæ morabatur tandem Romam proficiſceretur. Ipſe cum bona Florentinorum gratia diſceſſurus Ciuitatem honore Metropolitico exornauit, nam cum anteà ab ipſa penè Vrbis origine Epiſcopatum tantummodo habuiſſet, in Archiepiſcopatum eorum Cathedralem Eccleſiam tranſtulit eique ſubijecit, vt Matri, Volaterranam, Piſtorienſem, Feſulanamque Eccleſiam.*

Alphonſius Ciaccon. in Vita Martini V.

IX.

Ambroſius de Comitibus Caleppijs Nobilis Bergomates vir fuit noſtra tempeſtate omnigenæ literaturæ, nam præterquamquod omnibus ſpeculatiuis diſciplinis eſſet imbutus, etiam in iure ciuili, quod rarum eſt in Regularibus, extitit conſultiſſimus. Peritiam magnam huiuſmodi facultatis valdè benè oſtendit in Vrbe ex occaſione agitandi ibi lites Magni momenti admirantibus ſuper doctrina, & reſponſis eius in tali genere primis Romanæ Curiæ Cauſidicis. Plures annos Philoſo-

Lib. Memoriarum S. Sepulchri de Aſtino propè Bergomum.

losophiam, & Sacram Theologiam docuit Magister Collegij Astinensis in Patria, & vt acris erat Ingenij, & Indolis generosæ, non potuit contineri quò minus inter otia litterarum aliquid indulgens magnanimitati naturæ ad fortia peragenda animum non adijceret præcipuè in beneficium Amicorum nihil non molitus quantumuis arduum pro defendendis amicis suis, adeò tenax seruandi leges veræ Amicitiæ, vt fælix propemodum diceretur, qui cum Patre Magistro Ambrosio de Caleppijs amicitiam contraxisset: Magno propterea amicorũ luctu exceptus est nuncius eius mortis, quæ sequuta est anno 1665, in eodem Monasterio Sancti Sepulchri, ibique Memoriæ tam clari viri asseruantur.

X.

Anastasius Cardinalis, & Episcopus Albanen. (Verba sunt hæc Alphonsi Ciacconij) *Paschalis* II. *iussu circa annum* 1112. *legatione functus est apud Beneuentanos vt illos cum Romana Ecclesia Conciliaret: Mansit autem in ea Ciuitate quoadusque cuncta componeret, populumque obsequentem Pontifici redderet. Indèque ad Paschalem reuersus est.* Hæc summatim Ciacconius: Fusius eius gesta enarrat in suis Annalibus Cardinalis Baronius, præcipuè illum laudans

Ciacconius tomo 1. pag. 926.
Baronius tom. 11. Fragmenta Historica Ascanij Tamburrini.

à se-

à fęlicitate prædictæ Legationis: Neuter tamen ex his Auctoribus innuit cui professioni Anastasius fuit addictus. At Abbas Tamburinus in fragmentis suarum historiarum reponit eum inter Vallumbrosanos dicens, huiusmodi Anastasium fuisse Monachum Abbatiæ Montis Plani in Dięcesi Pistoriensi, & ex Monacho illius Monasterij, quod erat Congregationis Vallisumbrosæ, ob egregias dotes ad Cardinalitiam dignitatem à Paschali Secundo esse euectum, probatque assertum Antiquissimis Scripturis eiusdem Abbatiæ Montis Plani,& ex Archiuio Sancti Michaelis de Pistorio.

XI.

B. Andreas Parmensis Discipulus primùm Sancti Arialdi Martyris strenuè cum ipso laborauit per totam Galliam Cisalpinam contra Sectarios Nicolaitas, & Simoniacos, & vt erat Concionator verè Apostolicus, & admirabili præditus eloquentia, gauisa est illa pars Italiæ habuisse in Alumno suo verbi Dei pręconem eximium, qui plurimos Hæreticos ad Catholicam Fidem conuertit, peccatores innumeros ad pœnitentiam reuocauit. Incredibile tamen dictu est quot labores in Euangelica illa prædicatione, quot ærumnas,

quan-

quanta mala ſit perpeſſus ex impijs Hæreticorum inſidijs. Tandem exantlatis laboribus pro Dei gloria, & animarum lucro, perſequutionis nouas declinans procellas, quæ inſenſius ab hæreticis excitabantur, vnà cum B. Rodulpho Abbate, qui & illuc ad Euangelizzandum Dei Verbum acceſſerat, Florentiam redijt, & ibi ad formam Sancti Ioannis Gualberti ſe totum efformans præcipuus eiuſdem Sanctiſſimi Inſtitutoris imitator meruit appellari. Vnde in Martyrologio Benedictino, ſic eius feſtum annunciatur. *Sexto Idus Martij in Monaſterio Valliſumbroſæ B. Andreæ Diſcipuli S. Ioannis Gualberti, & imitatoris eiuſdem præcipui*. Cæteris igitur Condiſcipulis Andreas Sanctior ex præcellenti imitatione ſanctitatis, quæ erat in Patre, Pater ipſe meritò, & Abbas eligitur Strumentis Abbatiæ Sancti Fidelis de Puppio, vt Monaſterium illud paulò ante Religioni acquiſitum ad Regulam Strictioris Obſeruantiæ Vallumbroſanæ omninò componeret. Res de ſententia euenit, nam ibi naſcentem Monaſticam Diſciplinam ità ſpiritualium Dogmatum pabulis cæpit alere, atque enutrire, vt vel ſub initium educationis eius ipſa grandior apparuerit, & mulùtm adulta, & Cænobitę illius

Lign. Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 70 Ferrar. in ſuo Martyrologio pag. 106.

Bolland. de Menſe Martij tom. 2. pag. 48.

Bernard. del Serà in Vita Almarij pag. 5.

Locatell. lib. 2. cap 10. pag 196.

Gamburrin. in hiſtorijs ſuper Familiàs Ethruſcas par. 1. pag. 132.

illius Cænobij sanctissimis ab eo imbuti instiutis adeò breui excreuerint, vt ita dixerim, in Colossos sanctitatis, vt longè latèque apud Ethruriæ populos, quinimmo apud omnes Italos admirationi esset edificij spiritualis excelsa moles. Accidit ea tempestate, testibus Bernardo del Sera, Locatello, & alijs auctoribus, vt Florentini, Aretini, & Tiphernates ad inuicem decertarent, & ex continuis militum incursionibus, finitimæ quæque deuastarentur Regiones, nec vlli pateret aditus ad componendas illarum Ciuitatum lites inueteratas, cùm etiam Legati Apostolici, & Cardinales Amplissimi à Romano Pontifice ad hoc missi, re infecta, Romam redirent, quando vnus Abbas Noster Strumensis medijs ieiunijs, & orationibus, ope implorata diuina, prosiliuit in medium vtilis Aduocatus publicæ quietis, & plus solito potens in opere, & sermone animos valuit conciliare, lites dirimere, & pacem stabilire, ex quo facto tanta claritas, & æstimatio eius nomini accessit, vt vltroneæ venerint à Sancta Sede concessiones Priuilegiorum pro Monasterio Strumensi, & vltroneæ oblationes Prioratuum, Hospitalium, ac Prædiorum, quibus abundanter Cænobium illud

fuit

ſuit locupletatum; Ipſe verò B. Andreas abundantioribus locupletatus meritis in pace quieuit Anno 1097. eiuſque ſacrum Corpus in eadem Eccleſia Sancti Fidelis de Puppio humatum reuerenter fuit, ſed dum corpus humo tegitur Spiritus Aſtra tenet.

XII.

Andreas de S. Geminiano Ethruriæ oppido Monachus Ordinis Valliſumbroſæ præclaro fuit ingenio à natura donatus, quod clarius reddidit ipſe laborioſo ſtudio ſcientiarum, & in primis ab intelligentia Sacræ Scripturæ, & Lectione Sanctorum Patrum. Varia ſcripſit opuſcula, quæ vnico complexus eſt volumine, & in eo per octoginta capita totam materiam de Vitijs, & Virtutibus ſpeculatiuè, & moraliter eſt proſequtus, finemque impoſuit operi Anno Domini 1374. die 6. Nouembris, vt ipſemet Auctor in calce vltimi capitis teſtatum reliquit.

Lib. Memoriarum Vallis-Vmbroſæ.

XIII.

S. Angelus, notiſſima Signorinorum Familia Florentiæ ortus inter Monachos Vallumbroſanos coaptatus Anno ſalutis 1445. ætatis ſuæ 20. cum reliquis Monachis in Cœnobio Valliſumbroſæ cænobiticè aliquandiù vixit, ſed ſolitudinis maioris deſiderio ductus

ductus in Eremitorium vulgari sermone, *masso delle celle* nuncupatum, de Superiorum licentia se recepit, ibique per spatium quadraginta annorum ieiunijs, & orationibus assiduè vacauit, recreatus persæpè colloquio Deiparæ Virginis ex Imagine miraculosa in eo loco depicta secreta cælestia identidem sibi reuelantis, nec alios præterijt Cæli fauores, & priuilegia, inter quæ illud singulare annumeratur, quòd Dei Gloriam aspicere meruerit, quam admirabilem visionem præter Eudoxium Locatellum, & alios Scriptores Vallumbrosanos clarissimè refert Arnoldus Vuion in suo Martyrologio Benedictino his verbis: *Decimo Kalendas Iunij in Monasterio Vallisumbrosæ Depositio Sancti Angeli, de quo hoc præcipuè fertur, quòd in Eleuatione Sacrosanctæ Eucharistiæ meritis Beatissimæ Virginis, cuius erat deuotissimus, meruerit Gloriam Dei aspicere*. Angelus igitur noster de Signorinis verè Angelus, & Angelorum vitam æmulatus in Terris, hoc vnum visus est habere commune cum hominibus, quod debuit mori: mortuus est autem octuagenarius Anno Christi 1526. sed pretiosa cum sit in Domino mors Sanctorum eius, illud pretiosissimum munus detulit

Bolland. to. 5. folio 253. Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 20. Locatell. lib. 2. cap. 50. pag. 305. Lign. Vitæ tom. 2 lib. 3. pag. 172.

tulit mors Nostro Sancto de Signorinis nempè fruitionem perpetuam illius Beatæ Gloriæ, cuius visionem ad breue tempus delibauerat in via.

XIV.

Venerabilis Angelus Leonorus, Patria Bononiensis, nobili genere ortus Vallumbrosanum Habitum induit ætate iam adultus in Monasterio Sanctæ Praxedis de Vrbe, indè non multò post cum esset in ipso ferè ingressu pro dignitatibus maturus, electus fuit Abbas Monasterij de Coruara propè Bononiam: At ipse dignitati Abbatiali nuncium remisso, Vitam Anachoriticam delegit agere in Eremo Cellarum iuxta Vallem Vmbrosam, & Anachoritæ insignis fama vixit, & viuet in memoria posterorum, & meritò à D. Egidio Flamminij in sua Chronica titulo Venerabilis appellatur. Nec minori fama meruit titulum Scriptoris eximij, vt enim erat in iure canonico valdè peritus, in diuinis Scripturis apprimè versatus, & omnium ferè scientiarum eruditione imbutus, præter plurimas epistolas eruditissimas ad Populum Florentinum datas, & ad Romanos Pontifices, & Reges, & ad varias Ecclesias etiam remotas Asiæ, & Affricæ, plures edidit libros

bros ſuper diuerſis materijs ſolidis doctrinis refertos, vt de auctoritate Papæ librum vnum; contra Decium Hæreticum librum vnum, Ad Epiſcopum Aretinum librum vnum, contra Conciliabolum Piſanum librum vnum, & alios quoſdam tractatus perutiles, ac ſcientificos; Quoad verò virtutes ſupernaturales laudatur præcipuè Angelus Leonorus à feruentiſſima charitate, qua flagrabat erga Deum, & erga proximum in ſalutem animarum, cupiebat enim cū Apoſtolo vel anathema eſſe pro Fratribus ſuis, pro quibus aſſiduè orabat, & quotidianas ſui corporis meccerationes, ieiunia, vigilias, & flagellationes, ac cętera pietatis officia impendebat; Vndè problemmaticam reliquit quæſtionem, Vtrum Angelus Leonorus propter eminentem ſcientiam inter Cherubinos, an propter excellentiam ardentiſſimæ charitatis inter Seraphinos eſſet adſcribendus: Complexus eſt laudes eius metro Generalis D. Hilarius Alcei ſequentibus carminibus inciſis ad lapidem Sepulchralem, ſub quo iacet corpus iam animatum tàm Angelico Spiritu propè Altare S. Ioannis Gualberti in cornu Epiſtolæ in Eccleſia Valliſumbroſę.

Lib. Memoriarum Valliſ-Vmbroſæ pręcipuè ſignat. B. pag. 126.
Arbor. Aſcanij Tamburrini.

 D. O. M.

D. O. M.

Angelus hìc latitat Leonora Stirpe Verendus
Cellarum Insignis Anachorita diù.
Canonicæ titulo clarus, clarusque sacrorum
Doctrina, & dignis moribus vsq; Deo,
Cui tanta à teneris Pietas, & zelus in omnes
Insuit, vt cuperet pro Grege cuncta pati,
Nempè alijs Cœlum Aduectis, descendere in Orcum
Solus, at exutus carnibus Astra tenet
Obijt Anno Domini 1530.

XV.

Angelus cognomento Florenzola, Poeta, Orator, & Scriptor inter Vallumbrosanos apprimè eruditus, & valdè lepidus floruit circa Annos 1550. Eius laudatam poesim, & artem Oratoriam digno describit Elogio Pater Paccianus Ordinis Seruorum B. Mariæ in Libro, qui inscribitur Catalogus Scriptorum Florentinorum, hoc pacto uidelicet. *Angelus Congregationis Vallisumbrosæ patrio eloquio in edendis carminibus, in explicandisque sui animi conceptibus soluta pedestrique oratione luculentus, tersus, copiosus, varius,*

Catalogus Scriptorum Florentinorum Magistri Paccianiis Littera A. pag. 1.

si dicea più tosto fiori nel 1540 perche Lorenzo Scala dando in luce le sue prose nel 1540. dice che egli era morto pochi anni avanti.

abun-

abundans, suauis, & vrbanus conscripsit soluta oratione discursus animalium, quorum initium, Nella grande, e populosa, epistolas nonnullas, sermones diuersos, nouitates octo, & tractatum inscriptum, Discacciamento delle nuoue lettere, & incipit, Venendomi à dì passati, E latino in maternum sermonem conuertit Apuleium de Asino Aureo, Commedias duas, & dictauit carmina penè innumerabilia in libro Bernæ annotata.

XVI.

B. Anselmus Indiuiduus comes S. Atthi, siue Atthonis Pistoriensis Episcopi, de quo infra, ipsius Sanctissimi Antistitis vestigia sequendo eò peruenit in Via Christianæ virtutis, & perfectionis Euangelicæ, vt ferè metam attigerit consimilis Sanctitatis iuxta normam, & Ideam à Præsule suo dignissimo acceptam; Eius laudes breuiter percurrit quidam Canonicus Compostellanus nomine Rainerius in Epistola, quam hic inscripsit eidem Sãctissimo Episcopo Atthoni, & asseruatur inter alias antiquas Scripturas Cathedralis Ecclesiæ de Pistorio, & insuper Beatus iste Anselmus annotatur ab Ascanio Tamburrino inter alios Beatos Ordinis Vallisumbrosæ in sua Arbore Vallumbrosana.

Archiuium Ecclesiæ Pistoriens.
Arbor Vallumbrosana Ascan. Tamburrini.

Anti-

XVII.

Antimus Martellus nobilis Florentinus Generalis quinquagesimusnonus Congregationis Vallisũbrosæ sicuti in Patria Linguæ Hebraicæ, Grecæ, & Latinę primus habebatur Professor, sic respectiuè ad reliquos Linguarũ Professores nulli creditus est esse inferior, cumulatus etiam scientijs speculatiuis à Sacræ Theologiæ Magisterio multùm claruit, & quia inter omnes, imò super omnes videbatur eò tempore eminere æquè in genere moris, ac in genere doctrinæ propterea in eminenti supremi Superioris gradu fuit meritò collocatus in Capitulo Generali Anno 1621. in quo gradu optimi Superioris partes expleuit, & post se desiderium sui apud posteros reliquit.

Memoriæ Vallis Vmbrosæ, Acta Capitularia anno 1621. in Archiuio Ripulen.

XVIII.

Antonius de Nobilibus Vir verè Nobilis, nobilitatus quippe non minus à præclaris gestis Auorum, quàm à proprijs prerogatiuis, eis illustrauit quintum sæculum Religionis Vallisumbrosæ præcipuè cum esset Abbas Monasterij Sancti Saluij propè Florentiam adhibitus ijs temporibus à Magistratu Florentino in arduis Reipublicæ negocijs pertractandis, è quorum labyrinto, melius quàm

Fragmenta Historica Ascan. Tamburrini, & Memoriæ Religionis.

cum

cum filo Ariadnæ per ſuæ prudentiæ præſtitum Auxilium non ſemel Patriam fæliciter eduxit. Vnde celebre nomen eius in Hiſtorijs Florentinis illius Sæculi, nempè quinti ſupra milleſimum.

XIX.

S. Arialdus Diaconus anteà Mediolanenſis poſtea Monachus Vallumbroſanus dum fortiter dogma Catholicum ſubſtinere, & defendere conatur maximè contra Simoniacos, & Nicolaitas per Galliam Ciſalpinam tunc temporis immanius debaccantes ab ijſdem Hæreticis in odium fidei interfectus eſt vnà cum alijs quinque Monachis Diſcipulis ſuis, nempè Landulpho, Arnulpho, Dagegario, Syro, & Vrſino, qui omnes vario mortis genere ſummum fortitudinis actum conſumarunt in glorioſo Martyrio circa annum Domini 1096. In Bibliotheca Vaticana Romæ extare dicitur, vt notat Abbas Tamburinus, Liber antiquus manuſcriptus de Geſtis S. Arialdi, & Sociorum Martyrum, in quo clarè demonſtratur, eos fuiſſe Monachos Ordinis Valliſumbroſæ: Habitum autem Vallumbroſanum accipiſſe à Sancto Petro Igneo, quando ipſe adhuc Monachus nondum Cardinalis in Inſubriam peragrauit.

Antiqua Manuſcripta in Bialiotheca Vaticana.

Pro-

Probatur manifestè ab officij lectionibus, quas recitamus in festo eiusdem Sancti Petri præsertim lectione secunda secundi Nocturni, Vbi notatis itineribus iussu Sanctissimi Patris Ioannis Gualberti, susceptis ab hoc suo Discipulo, videlicet Florentia Romam, Roma iterũ Florentiã, Florentia Mediolanum sic legimus. *Sed Petrus, postulantibus Mediolanensibus, cum Rodulpho, & alijs Monachis in Insubriam permeare coactus vnà cum Arialdo Diacono (qui Petro instante Cucullum induit Vallumbrosanum) & Herembaldo Duce maximè contra Nicolaitas, & Simmoniacos ita profecit, vt penè tota Gallia Cisalpina ab hæresi tandem liberaretur.* In illa autem Parenthesi vis existit, & robur antedictæ nostræ Probationis.

Lection. Officij S. Petri Ignei recognitæ a Sacra Rituum Congregatione.

XX.

Arsenius à Puppio, familia de Crudelibus, ipse verò ad Christianam mansuetudinem totus compositus, vnicè se crudelem ostendit in Vitijs profligandis, contra ea declamator factus acerrimus dum concinatoris officio fungeretur; quo in munere fuit valdè celebris, nec minori fama Philosophum, ac Theologum egit scribens super prædicamentis Aristotelicis, & Porphirij prædicabilibus, & alios edens tractatus verè scientificos præ-

Archiuium VallisVmbrosæ, & Ripulen. & S. Fidelis de Puppio.

præcipuè ſacrum librum ſuper ſeptem Verba pronunciata à Chriſto Domino in Cruce pendente. Floruit hic vir ſæculo præterito, vt ex eius operibus.

XXI.

Aſcanius Tamburinus de Marradio Fauentinæ Diœceſis Sacræ Theologiæ Magiſter, & Concionator Egregius, quantæ in Iure etiam Canonico peritiæ fuerit abundantiſſimè teſtatur opus celeberrimum ab eo Typis mandatum de iure Abbatum, & Abbatiſſarum, quo omnes Iuriſtæ vtuntur. Nec terminus hic fuit ſtudiorum eius; Prouinciam enim ſuſcepit laborioſiſſimam comparandi ſibi notitias de omnibus quotquot extiterunt in Orbe Terrarum Equitum ordinibus, quorum effigies delineandas curauit cum proprijs cuiuſcumque Ordinis Inſignibus, Indumentis, & Crucibus, & certè in tanto numero collectas, vt duos prægrandes Tomos ex eis implere potuerit, adijciens ad pedes delineatæ cuiuſcumque figuræ hiſtoriam reſpectiuè ſui Ordinis Militaris, quo videlicet tempore, ſub quo Principe, qua de cauſa, & vndè originem duxerit: materia infinitæ penè dixerim eruditionis, propterea, digna, quæ ab Eruditiſſimo Pontifice Ale-

Tom. 2. de Iure Abbat. & Abbatiſſarum.

xandro VII. tunc regnante summopere commendaretur. Ob singularem igitur eius doctrinam, & morum probitatem Vallumbrosani Patres meritò Primaria Religionis successiuè Munia vltrò ei detulerunt etiam gradum Generalatus, & hunc non semel, sed iterùm in Capitulo Generali Romæ celebrato de an. 1665. Cum autem secundò generalitiam gerens dignitatem esset octuagenario maior, senio non minus, quàm studiosis laboribus confectus vix primo ab electione decurso anno tributum naturæ soluit in Monasterio Sancti Bartholomæi de Ripulis solita Generalium Vallumbrosanorum Residentia de Mense Maij currentis Sæculi decimi septimi à Christi Natiuitate, sed viuet tamen per sæcula sæculorum in eius operibus tanti viri gloriosa memoria.

Archiuium Repulen lib. Memoriarum S. Praxed, de Vrbe.

XXII.

S. Attho, siue Atthus (vt ex Antiquissimis habemus historijs, & præsertim ex Vetustissimis Officijs Vallumbrosanis iterùm impressis Foroliuij anno 1624.) Quo tempore Mauri, & Arabes dominabantur in Hispania, totamque ferè Regionem illam morum fæditate corruperant, ortus est honestis parentibus in Vrbe Pacensi, quæ ad Lusita-

niæ

niæ fines propè Anam fluuium ſita eſt ; At Barbarorum conuictum deteſtatus , vt liberiori ſtudio fidem catholicam , & perfectionem Euangelicam coleret Patriam reliquit, in qua ad Sacerdotium , & Cathedralis Eccleſiæ Canonicatum iam fuerat promotus , & Romam vſque peregrinatus eſt ad adoranda limina Apoſtolorum , ſed Romæ non impoſito termino peregrinationis ſuæ ad reliqua Italiæ inuiſenda ſanctuaria pedem diuertit , & in primis Montem Caſſinum adijt, indè Sacram Camaldulenſium Eremum in Tuſcia ; mox ad Vallemumbroſam acceſſit , Vbi Vallumbroſanorum Inſtituto præcipuè delectatus incunctanter illud amplexus eſt , tantaque virtute , ac apud omnes æſtimatione breui claruit , vt aſſumpto ad Epiſcopatum Parmenſem Sancto Bernardo Vberti, mortuoque Theodorico eius Vicario , poſt quinquennium à quo Monaſticum habitum ſuſceperat, omnium Patruum ſuffragijs Abbas Generalis Vallisumbroſæ electus ſit: Eo munere auctus in tantùm non minuit quidquam de aſſumpto vitæ rigore , quin potiùs illum eundem in ſe retinuit , & in ſubditos mirificè propagauit : Viduata poſtmodum ſuo Paſtore ijs temporibus Ciuitate

Bernard del Sera in ſuo Compendio pag 6.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 15 pag. 211.
Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 53.
Volaterranus lib 20. Metropolog.

Pistorij, Pistorienses Ciues Atthonem ipsum enixis precibus in suum Antistitem postularunt à Romano Pontifice, cuius iussu Episcopale onus inuitus licet, & multùm reluctans subire cogitur. Quanta autem sanctitatis, sapientiæ, & prudentiæ laude Ecclesiam illam Sanctus Attho gubernasset, breui excipies elogio publicè iam recitato per Matthæum quendam Cardinalem Sancti Georgij, & apud varios Auctores registrato præcipuè apud Abbatem Vghellum in Italia Sacra, & verba Elogij sunt hæc: *Romana, & Apostolica Sedes beata foret, si Atthonis Pistoriensis Episcopi duceretur moderamine gubernaculi*. In officio Pastorali indefessus lustrando Diœcesim, visitando ægrotos, alendo Egenos, ministrando Sacramenta, Verbum Dei disseminando numquam visus est cessare ab actuali cura, & vigilantia super Gregem sibi commissum. Inter particularia beneficia, quæ suæ præstitit Sponsæ scilicet Ecclesiæ suæ non vulgare certè fuit illud, quo eam ditauit de Reliquijs Sancti Iacobi Maioris ab Episcopo Compostellano impetratis, quem Apostolum deindè sicuti Patronum sibi delegerunt, ità & senserunt Patrocinantem Ciues Pistorienses. Tandem

Italiæ Sacra tom. III. pag. 361.
Michael Angelus Salui in Historijs Pistoriensibus.

dem cum ad annos viginti ſupradictæ Eccleſiæ præfuiſſet meritis plenus, & Miraculis glorioſus migrauit ad Dominum an. 1155. die 22. Maij, in quo feſtum eius quotannis apud Vallumbroſanos ſolemniter celebratur cum Miſſa, & Officio ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, ſicuti, & in Diœceſi Piſtorienſi, in cuius Cathedrali eius Sacrum Corpus poſt centum octuaginta annos integrum repertum, & Cæleſtis Odoris ſuauitate fragrantiſſimum adhuc incorruptum colitur ſuper Altare ad manum dexteram intrantibus Eccleſiam. Præter Abbatem Vghellum agunt de Sancto Atthone multi alij Auctores, quorum aliqui citantur hic in margine. Ex hac Hiſtoria Sancti Atthonis videant quantùm allucinentur aliqui non benè ſentientes vniuerſaliter de ijs, qui grãdiores natu admittuntur ad Religionem arguendo fortaſſe ab vno indiuiduo malo ad totam ſpeciem, & etiam ad totum genus, quæ argumentatio ſecundùm Dialecticos abſolutè eſt falſa, & nullo modo tenet, & certè in propoſita materia, ſicut tot ex ijs, qui Religionem ingreſſi ſunt Paruuli non excreuerunt in Viros magnos; Sic qui maiores natu venerunt non decreuerunt in paruos; Neque limitan-

dum

dum eſt tempus Deo vocanti, ita vt omnes vocandos præſumamus, & velimus prima hora, hoc eſt in Adoleſcientia. Cum ex parabola de operarijs in Euangelio clarè conſtet, Alios vocari in Vinea Domini hora prima, alios tertia, alios hora ſexta, alios nona, alios denique vndecima: Et paſſim in omnibus Religionibus habentur exempla eorum, qui ſanctitate floruerunt, & inſignes fuerunt Viri, licet adulti, & in prouecta ætate habitum Religioſum ſuſceperint, neque deſunt huiuſmodi exempla in Congregatione Noſtra Vallumbroſana, & non pauca proponuntur in præſenti Catalogo, vbi reperies Beatum Andream Parmenſem, S. Arialdum, & Socios Martyres, Sanctum Anſelmum, Beatum Benedictum Abbatem Ripulenſem, Sanctam Bertam Abbatiſſam, Sanctum Goffredum, Sanctum Gualam olim Epiſcopum, Beatum Homodeum, S. Ioannem ex Abbate Eremitam Cellarum, Sanctum Lanfrancum Papienſem Epiſcopum, Sanctum Torellum; Venerabilem Angelum Leonorum, Venerabilem Sanctem Fabronum, quibus adijcies etiam alios quamuis non Sanctos, attamen inſignes Viros Iulianum ſcilicet de Durazzinis, Beni-

gnum

gnum Malatestam, Nicolaum Vngarum, Placidum Pauanellum, & Danielem Sersalem, qui omnes vel sexta, vel nona, vel vndecima hora venerunt, vt patet ex singulis eorum Elogijs; Neque peioris conditionis in hac linea, cæteris paribus, dicendi sunt ij, qui in aliena Religione fuerunt benè educati sub disciplina regulari, ab ijs, qui immediatè recipiuntur à sæculo, nisi aliunde de eorum moribus constet in contrarium, vt patebit Iudicio Prudentum.

XXIII.

Attho alter huius nominis Episcopus Vallumbrosanus in regimine Ecclesiæ Bergomensis Ioanni Torniello item Episcopo Vallumbrosano successit an. 1230. vt refert Bartholomæus Peregrinus, qui subdit in laudem eius, quòd Vineam benè ipse gerens per annos decem, menses 4. dies 6. mortuus sit anno 1240. die 13. Iulij, idipsum testatur Vghellus, & eruitur ab alijs antiquis Memorijs, in quibus cohærenti semper Elogio commendatur de sollicitudine Pastoralis officij, & de Vitæ integritate singulari.

Vinea Bergomen pag. 1. cap. 34.

XXIV.

Venerabilis Attho Carduccius Nobilis Florentinus præter legem Canonicam, quam in

in primis didicit, & ſcientias ſpeculatiuas, lectioni Sacræ Scripturæ fuit addictiſſimus, & ita recogitabat corde Sacros Textus, vt ex abundantia cordis os loqueretur; Sæpè ſæpiùs illos effundens in familiari ſermone, præcipuè loquendo cum iunioribus, quos ad Euangelicam perfectionem Sacrę paginæ ſententijs adhortari conſueuerat. Bis apicem Generalatus aſcendit, & nihil eo præſertim tempore prætermiſit, quod ſibi ratione muneris aſſumpti iniunctum agnoſceret, ſeipſum videlicet præbendo exemplum bonorum operum, vt opere complens, quæ docebat ore, efficacius impetraret à ſubiectis Monachis obſeruantiam Monaſticæ Diſciplinæ, Aſſequtus in hoc imitationem Chriſti Domini, qui cœpit facere, & docere: Fuit propterea Carduccius Religioni valdè proficuus in Spirtualibus, nec minorem vtilitatem attulit in temporalibus, obtinuit enim à Sede Apoſtolica priuilegia non pauca, & varias acquiſiuit Domos, & prædia ad incrementum eiuſdem. Secundò functus Generalatus officio Abbas eligitur Sanctiſſimæ Trinitatis Florentiæ, cui Monaſterio ad multos annos præfuit, donec abdicata aliorum cura, ſibi viuere in vltima ſenectute decreuit,

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 62. Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tomo 1. lib. 1. cap. 35. pag. 57. Archiuium Ripulen.

uit, electo domicilio in Abbatia S. Bartholomæi de Ripulis, vbi posteà diem clausit anno salutis 1576. ætatis suæ 84. & honorificè fuit sepultus.

XXV.

Auerardus ex Nicolinorum Familia Florentiæ ortus à pueritia in Vallumbrosana Religione susceptus, & exindè eam statuto tempore professus per omnes Religionis gradus gradatim ascendit vsque ad Supremum Generalatus inclusiuè, ad quem per vota Patrum fuit euectus in Capitulo Generali celebrato de anno 1625. In omni autem gradu Regularis Obseruantiæ viuum extitit exemplar coram sibi subiectis: Varia construxit ædificia, inter quæ singulare fuit Valetudinarium Florentiæ in Monasterio Sanctissimæ Trinitatis ad commodum Aegrotantium Monachorum illuc ex omnibus alijs Monasterijs Ethruriȩ Confluentium causa curandi infirmitates suas, Opus verè pium, dignum pietate tanti Viri, qui aliorum bonæ valetudini prospiciens, nec suam negligens vsque ad vltimam senectutem vitam protraxit obseruata adamussim Regula benè viuendi. Tandem dum præsideret Abbas Monasterio Sancti Laurentij

Archiuium Ripulen. Lib. Memoriarum Cȩnobij Vallisumbrosæ, & Sanctissimæ Trinitatis, & aliorum Monasteriorum.

 Cultus

Cultus Boni in Senensi Territorio decessit in plenitudine dierum suorum anno reparatæ salutis 1665. relictis post se præcipuè in Archicęnobio Vallisumbrosæ magnis munificentiæ suæ Monumentis.

XXVI.

Venerabilis Aurelius Fabaginus Oriundus à Ferraria, sed à diuturno domicilio, quod vnà cum consanguineis habuit Foroliuij; Foroliuiensis dictus, ab ipsa infantia singularia propemodum Pietatis, ac intelligentiæ præbuit documenta, etenim quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid improbum, quid fugiendum, quid optandum, quid Deo, quid Parentibus, quid Magistris, quid Amicis, quid Legibus debeatur primùm ille cognouit quàm aut balbutientem linguam vix soluere, aut Voculas proferre, aut Verbis Verba nectere reliqui consuescant, & secundùm hanc præuentiuam cognitionem puerulus accuratissimè operabatur; Vndè, & puerilibus studijs viriliter incumbens, & virilibus disciplinis indesinenter insistens, & litterarijs lucubrationibus immobiliter inhærens, ætatem illam illecebris, voluptatibus, & euagationibus addictam intra certos Verecundiæ, Pudoris,

Archiuium S. Bartholomæi de Ripulis, & Libr. Memoriarum S. Mercurialis de Foroliuio.

ac

ac Modeſtiæ limites ſumma cum laude perſtrinxit; Sed has Virtutes multò fælicius poſteà coluit intra ſepta Monaſterij Monachum Vallumbroſanum indutus; Quare breui, vbi per ætatem licuit, Vir ad negotium non ad ocium natus, ad laborem non ad inertiam Inſtitutus, Officia non quærens, ſed præueniens, gradus non petens, ſed ſucipiens, Dignitates non optans, ſed decorans, Vigeſimum vix peragens annum Magiſter iam conſtituitur Paſſinianenſis Lycæi, in quo obeundo Magiſterio tantam adhibuit diligentiam, & ita illius percelebris Gymnaſij Alumnos erudiendos curauit, tum per exercitationes litterarias in ſcientijs ſpeculatiuis, tum per Monita ſalutis, & ſui rarum Exemplum in Monaſticis Diſciplinis, vt non minus eximij Lectoris, quàm optimi Superioris famam, & gloriam indè referens quantocius è Magiſtrali Cathedra ad Sedem Abbatialem euocaretur, & certatim ab omnibus Collegijs in ſuum Prælatum expeteretur. Primo autem datus eſt Abbas Monachis Bergomenſibus Saucti Sepulchri de Aſtino, & illam Abbatiam tanta adminiſtrauit rectitudine, & ęquitate, vt nullum locum ſiue ſubditis expe-

tendi, siue amicis admonendi, siue inuidis obtrectandi reliquerit, & similiter se gessit in administratione aliorum Monasteriorum, quæ successiuè regenda suscepit, cum eodem simul tempore singulis æquè probatus atque gratissimus esset; Hinc Ordinis pluries Visitator, & quidem plausibiliter electus est, & pari quoque applausu non semel, sed iterùm in supremum Reipublicæ Vallumbrosanæ Rectorem assumptus est: In quo munere Iustitiæ rigorem cum suauitate Clementiæ mirificè copulauit: In omni autem gradu Regularis obseruantiæ Cultor indefessus, Ieiunia Regularia, & præscriptas abstinentias statis temporibus adamussim obseruabat etiam propè septuagenarius. Diurnis, Nocturnisque Officijs prior omnibus aderat; nulli parcens labori parcissimus tantummodo fuit in omni re, quæ ad suum commodum vertebat. Inuisebat ægrotos, pauperes subleuabat, Hospitibus, & Peregrinis personaliter inseruiebat, nihilque præteribat, quod ad officia pietatis, ad cultum Diuinæ Maiestatis, ad proximorum consolationem, ad sui demissionem, & mortificationem attinere conspiceret, mortificatus autem corpore viuificabatur amplius spiritu, ex quo

con-

conſtantis animi ſpecimen ſemper ſingulare dedit, & quem fortem, & inuictum ostendit inter mundanas varietates toto vitæ ſuæ tempore, etiam moriturus inter acerbos vltimæ infirmitatis dolores viriliter demonſtrauit. In eo articulo conſtitutus non propinquorum fletibus ingemuit, non ægritudinis acerbitates expauit, non imminentis interitus propinquitatem exhorruit; Imò ea alacritate Lethalis diuturni Agonis conflictationes Aurelius tranſegit, vt alios idem ſæpiùs conſolari ſtuduerit hæc placidiſſimè Verba repetens: Adaugeat Dominus morbum, ſed tollerantiam addat, excruciet carnem, ſed lætificet mentem, adijciat angores, ſed corroboret vires, deindè tenens præmanibus ſalutiferæ Crucis Vexillum: O Saluberrimum, ſupplex aiebat, æterni Regis trophæum, qui noſtros in tempore miſeratus errores in te pro nobis aſperrimam ſubijt mortem; En multiplici inuolutus anguſtia, en grauiſſimo comprehenſus languore, en innumeris detentus erumnis vltra quàm exprimi poſſit, vndequaque concutior, Quæſo iam per te mihi parcat, qui pro me te dilexit, iam per te me recipiat, qui pro me te ſuſcepit, iam

per

per te me reficiat qui per te me redemit, & hæc dicens declinato capite paulò poſt emiſit ſpiritum an. 1607. Hæreditaſſe autem videtur ſpiritum tanti viri cum eius nomine hiſce noſtris diebus alter.

Aurelius item Foroliuienſis de familia Caſari, ſed ex linea fæminina Aurelij Fabagini digniſſimus Nepos, Vir circa Sacros Ritus, & Rubricas, & Cæremonias Eccleſiaſticas inter Vallumbroſanos eruditiſſimus, circa memorias antiquitatis apprimè verſatus, in alijs facultatibus etiam peritus, exercet ad præſens officium Magiſtri Nouitiorum in Archicænobio Valliſumbroſæ, vbi propter Angelicos mores, & zelum Monaſticæ diſciplinæ viuit cum fama publica ſacerdotis integerrimi, & exemplariſſimæ Vitæ.

B. Bar-

B

I.

B. Bartholomæus Laicus Veterum Anachoritarum rediuiua imago, & viuum simulachrum in Ordine Vàllumbroſano, abſtinentiæ fuit admirabilis, nam interdicto ſibi cuiuslibet alterius refectionis vſu, nil præter herbas ſylueſtres, & quidem crudas ad cibum, nil præter aquam puram ad potum adhibebat; Aliquando tantùm ex præcepto Superiorum coctas herbas, & parum vini guſtauit, & eruditus in Chriſti paleſtra quantùm caro militet aduerſus ſpiritum, vt carnem ſpiritui perfectè ſubijceret nedum tali ieiuniorum rigore, ſed & alijs cruciatibus non ceſſauit in illam ſapienter deſæuire, cubare ſolitus ſuper nuda humo, vel ſuper ſectis ex arbore ramis, aut è vite ſegmentis, viſus in Hieme rigida volutari frequenter inter algentes niues, & ſæpè ſæpiùs ſe ſe cruentare retortis funiculis, & flagellis; Colluctatio inſuper ei perpetua fuit aduerſus Principes, & poteſtates tenebrarum, quos toto ferè vitæ ſuæ tempore ſenſit infeſtiſſimos, nunc ſub horribilibus figuris Aſpidum,

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 48. pag. 254.

Archiuium Ripulen. Libri Memoriarum S. Caſſiani de Monteſcalar.

dum, & Draconum, nunc ſub venuſta mulierum forma ſibi apparentes, & ſub quacumque figura, modis innumeris ipſum tentantes, ſic permittente Deo ad exercitium virtutis, & augumentum meriti in Seruo ſuo Bartholomæo, qui certè fecit cum tentatione prouentum, de tentationibus glorioſam ſemper victoriam reportando: Alijs à Deo cumulatus fauoribus, etiam dono Prophetiæ non caruit, quo multa prædixit, quæ ventura erant Religioni: Vitam duxit teſte Locatello partim in Monaſterio Sancti Saluij apud Florentiam, partim in Abbatia Sancti Caſſiani in Monte Scalario, & ibi Anno Chriſti 1565. deſijt viuere in Terris, vt æternum viuat in Cælis.

II.

Baſilius cognomento Latinus fortaſſe, quia natus in Latio Ordinem Vallumbroſanum Ingreſſus, Declamator verbi Dei euaſit diſertiſſimus, & ferè per omnes Ciuitates Italiæ auditus eſt magno Populorum concurſu, & Animarum fructu, nec præterijt Caput Orbis Romam, in qua munus Apoſtolicum exercuit, præcipuè dum ſuper Vaticani Solio ſederet Paulus Papa III. Qui Pontifex dignatus eſt pluries eum audire

Archiuium Ripulenſ. Fragmenta Hiſtor. Aſcan. Tamburini.

concio-

concionantem ſummopere delectatus à ſacra eloquentia, & admirabili facundia tanti Oratoris. Deſcribit eum in ſua Fago Vallumbroſana Abbas Aſcanius Tamburini circa Ann. 1536.

III.

Baſilius alter Concionator Egregius Ordinis Valliſumbroſæ, & ſimul etiam linguarum peritus, natione fuit Inſuber, & notatur in Vinea Bergomenſi inter alios operarios illuſtres à Bartholomæo de Peregrinis, qui poſtquam laudaſſet cap. 119. inſignem verbi Dei diſſeminatorem de Dominicana Familia nomine Laurentium Gerardum Coſta, cap. immediatè ſequenti ſubdit hæc de Noſtro Baſilio Vallumbroſano: *Nec multò poſt hunc prædictum Reuerendum Patrem,* ſcilicet Laurentium, *ſequutus eſt alter non minori fama, maximaque plurium linguarum cognitione peritus, & præcipuè Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ Reuerendus D. Baſilius dignus Monachus Sacræ Congregationis Valliſumbroſæ, qui anno ſalutis 1542. per totam Quadrageſimam in Alma Deiparæ Virginis Æde digniſſimas habuit conciones aſtante frequenti Bergomenſium Caterua.*

Vinea Bergomenſis par. 2. cap. 120. Archiuium S Sepulchri de Aſtino.

F Beatus

IV.

B. Benedictus Monachus Abbatiæ S. Laurentij Cultus Boni postmodum de consensu Abbatis Eremita in Siluæ recessu non longè ab eodem Monasterio, ibi in angusto tugurio à seipso ex Arborum ramis terraque constructo assiduis ieiunijs, & Orationibus cœpit Deo feruentiùs inseruire, & retenta solùm consuetudine redeundi ad Monasterium in Paschate, & paucis alijs solemnitatibus primarijs infra annum occurrentibus ex motiuo præstandi personale obsequium superiori suo, & fraternam charitatem cum alijs Monachis identidem instaurandi, de cætero ab omni hominum segregatus commercio vnicè fruebatur Dei consortio, & Beatorum per altissimas suas contemplationes, & estases iucundissimas. Has tamen animi delicias magnis corporis cruciatibus promerebatur, nam corpus cilicio, flagellis, frigore, inedia, atque omni pænarum genere cruciabat, qua viuendi forma vsque ad vltimum Vitæ spiritum deducta in actu Orationis sine vlla præuia infirmitate ex deliquio, vt fertur, Diuini Amoris expirauit in sua Eremo paulò post festum Epiphaniæ Domini an. 1107. Cuius Sanctissimi tran-

Bolland. tomo 2. de mense Ianuar. pag. 336.
Lignū Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 30.
Ferrar. in suo Martyrologio folio 39.
Bernard del Sera in Vita S. Bernard. Generalis 7. pag. 6.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 14. pag. 211.

transſitus ſignum dedere Campanæ Monaſterij Cultus Boni nulla manu permotæ, & hoc prodigioſo Campanarum Sono admoniti Patres Sancti Laurentij acceſſerunt ad locum vndequaque Menſe Ianuarij altis niuibus refertum, & intuentes Dei ſeruum fixis in terra genibus, manibus, & oculis in Cælum eleuatis, ac vultu placido orantis Effigiem præſeferentem, mirabantur ſi iam obijſſet, ſed cum à frigiditate Membrorum ſenſiſſent omni prorſus Vitali calore corpus deſtitutum, nec vllam aduertiſſent reſpirationem in ore, vel in corde palpitationem reuerenter illud impoſuerunt ſupra præparatum feretrum deportaturi ad ſepeliendum; At in tranſlatione Sacri Cadaueris, ecce nouum prodigium! nam niues in qua parte ipſum deportabatur ſeſe liquefacientes facillimum deportantibus præbuerunt iter vſque ad Eccleſiam Sancti Laurentij, in qua decenter fuit Tumulatum. Sed neque ceſſarunt Miracula, cùm enim non multò poſt vellent Patres decentiori in tumulo illud collocare inuenerunt in ore eius Lilium niue candidius recenter natum, & totum corpus integrum, & incorruptum ſuauiſſimo fragrans odore, & in

eodem ſtatu fragrantiæ, & integritatis ſimiliter eſt repertum poſt trecentos, & viginti annos, quando per Superiores iterùm fuit recognitum, vt refert inter alios Auctores Eudoxius Locatellus. Sed excipe iam benigne Lector Elogium, quo pronunciatur eius Feſtum pro die 20. Ianuarij in Martyrologio Benedictino. *Decimo tertio Kalendas Februarij in Monaſterio Cultus Boni Depoſitio Sancti Benedicti eiuſdem loci Monachi, & Eremitæ Ordinis Valliſumbroſæ, cuius Sacri Obitus ſignum dedere Campanæ humano deſtitutæ adiutorio, & in ore eius inuentum eſt lilium.*

V.

Beatus Benedictus huius Nominis alter inter Vallumbroſanos Laureola Confeſſoris donatus, fuit primùm Sacerdos in Sæculo, & Parochus Eccleſiæ Parochialis Sancti Stephani de Pitiana, in quo munere vigilantiſſimi Paſtoris partes expleuit paſcendo gregem ſibi commiſſum omni genere Spiritualis Alimoniæ, qua decet nutriri animas fidelium à Præpoſito curæ Animarum. Monaſticæ deindè vitæ deſiderio accenſus Ioan. Gualberti amplexus eſt inſtitutum in Valleumbroſa vbi Diuinarum rerum contemplationi ſe totum dedit. At

Gene-

Generalis de illo tempore Martinus nomine consentaneum magis ducens publicæ Congregationis vtilitati, si Benedictum regimini alicuius Monasterij præficeret, eum licet inuitum, ac reluctantem constituit Abbatem Sancti Bartholomæi de Ripulis propè Florentiam. Abbas ex Obedientia creatus nil habuit antiquiùs quàm subditos monasticis imbuere disciplinis, & in illis non minus verbo, quàm exemplo colere virtutem, & Sanctimoniam, & quidem eo fęlici successu, vt Cænobium illud Domus Dei esse videretur, in qua corporati Angeli viuerent sub Benedicto Magistro; Cum per aliquot Lustra huic Abbatiæ Benedictus Abbas Sanctissimè præfuisset anno demum 1205. obdormiuit in eo somno, quem Deus, vt habetur in Psalmo; dat Dilectis suis, & adhuc dormientis Effigiem præsefert visitantibus ipsum, tam integrum est corpus, & incorruptum cum carne, & Capillis vsque ad tempus præsens. Eius dies festus annunciatur in Martyrologio Benedictino his verbis: *Octauo Kalendas Octobris B. Benedicti Abbatis Ordinis Vallisumbrosæ Miraculis clari*: Miracula autem præcipua sunt hæc. Tempore Honorij Papæ III. &

Bernard. del Sera in Vita Martini Generalis pag. 9.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 26. pag. 228,
Lignum Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 317.

Fride-

Friderici II. Imperatoris, Reipublicæ Florentinæ Exercitus adnauigauit in Aegiptum expugnaturus Ciuitatem Damiatæ: Grassante verò in illis regionibus pestilentia, magnis cępit incommodis Exercitus ipse vexari, & Milites in dies perire, donec Militum Dux familiaris quondam Beati Benedicti ad eius confugit patrocinium fusis precibus Beatum orans, vt dignaretur à Deo impetrare sibi, & suis optatam salutem; Nec irrita fuit Oratio, nam Deus per merita Serui sui Benedicti non modo à pestifera lue reliquos Milites seruauit incolumes, sed & eis addidit robur ad strenuè pugnandum contra Barbaras illas Nationes, tam prospero pugnæ euentu, vt hostes debellare potuerint, & expugnare Damiatam. Victores in Patriam reuersi accessere ad Arcam in qua Sacrum asseruatur Corpus Beati, gratias ei referentes maximas de singulari accepto Beneficio, pro quo & appenderunt Tabellam. Quidam Monachus Ripulensis Thomas nomine per Intercessionem Beati Benedicti Abbatis sanatus est ab insanabili cæteroqui Vlcere faciem eius turpiter exedente, & Germanus ęius frater ex Dissenteriæ morbo ad mortem

tem vſque deductus priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

VI.

Venerabilis Benedictus Generalis Vigeſimus tertius Ordinis Valliſumbroſæ Nobilibus Florentiæ ortus Parentibus adhuc puer Chriſti Militiæ Nomen dedit. Inter Monachos aſcriptus in ipſo Tyrocinio veteranus Miles apparuit itaut admirationi eſſet apud Patres prouectioris Aetatis, qui in tenero Adoleſcente maturitatem ſenilem admirabantur. Quam oſtendit prudentiam adoleſcens multò magis demonſtrauit Adultus, dignus propterea, quòd fidelis ſeruus, & prudens conſtitueretur à Domino ſuper familiam ſuam rennnciatus priùs Abbas inſignis Abbatiæ S. Saluij propè Florentiam, mox Vniuerſalis Pater totius Vallumbroſanæ familiæ circa annum ſalutis 1325. Et licet huiuſmodi Electio in Generalem non ſtatim habuerit effectum ſuum, eò quod cenſeretur comprehenſa inter alias electiones graduum, & dignitatum, quæ reſeruabantur Summo Pontifici ex quodam motu proprio ſuper hac re Ioannis Papæ XXII. tamen id ceſſit poſteà in maiorem gloriam Electi, nam Ioannes ipſe factus

Acta Capitularia de an. 1325.
Bernard. del Sera in Compendio ſuo pag. 14.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 39. pag. 261.
Lignum Vitæ tom. 2. lib. 1. pag. 55.

ctus

ctus certior de meritis tanti viri per litteras PP. Vocalium, qui ſicuti vnanimi conſenſu illum elegerunt, ſic vnanimes quoque ſuper ipſius confirmatione deprecabantur Sanctam Sedem, non ſolùm Romanus Pontifex annuit petitionibus eorum, ſed & in Pontificio Diplomate ad eos remiſſo, magnis proſequtus eſt laudibus Benedictum Generalem Electum, adhortans Vallumbroſanos omnes ad ei debitam præſtandam obedientiam, & ſubiectionem. Varia hic Generalis extruxit ędificia Religioni Vtiliſſima, inter quæ Turrim valdè celebrem Pitianæ pro ſeruanda ibi ſupellectili Sacra Valliſumbroſæ, ne obnoxia eſſent ampliùs deprædationibus Militum ſicuti priùs maximè temporibus illis, in quibus Italia ſuo Priuata Pontifice apud Auenionem degente continuis bellorum tumultibus agitabatur. Viginti duos, & ampliùs annos in omni prudentia Religionem iam gubernauerat Benedictus, cùm in morbum incidit, ex quo moriturum ſe ſentiens Eccleſiæ munitus Sacramentis, & magna ex parte recitato Pſalterio ad eum Pſalmi Verſiculum, in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, ſpiritum ſuum reddidit

Crea-

Creatori anno 1346. testibus tabulis Vallisumbrosæ.

VII.

Venerabilis Benedictus Secundus huius Nominis, & Vigesimus sextus Generalis in serie Generalium Vallisumbrosæ Originem traxit à Monte Luco, quod est oppidum in Ethruria, & benè à montibus tantum prouenit auxilium Religioni, quæ propterea dicere potuit illud Psalmi, Leuaui oculos meos in Montes, vndè veniet auxilium mihi, & quidem auxilium de sancto, cum omnes operationes eius, etiam illæ, quæ respiciebant temporale Congregationis incrementum, vtpotè ad omnem iustitiæ mensuram libratæ, nil nisi iustitiam ipsam redolerent, & sanctitatem; nec sanctitatem solùm, sed, & fælicitatem; cum enim Benedictus à Monte Luco in subtili Patrij Montis Aëre sortitus esset ingenium proportionaliter subtile, & acutum, & de die in diem subtilitatem mentis operum exercitio magis magisque exacuisset adeòut videretur ad agibilia factus, quæcumque aggrediebatur negocia ita fæliciter expediebat, vt nemo visus sit illa expedire fæliciùs. Ad annos quindecim gubernauerat

Bernard. del Sera in Compendio suo pag. 15.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 43. pag. 270.
Arnoldus Vuion tom. 1. lib. 1. pag. 55.

Abbatiam Sancti Laurentij Cultus Boni, ad octo illam Sancti Michaëlis de Passiniano, & ad annos tredecim in simili ferè semper fælicitatis tenore Generalatum administrauit, hoc est àb anno 1387. vsque ad annum 1400. In quo meruit vocari à Deo supremo remuneratore illis Verbis, vt piè creditur, Veni Benedicte percipe Regnum, quod tibi præparatum fuit ab Origine Mundi.

VIII.

Benedictus Puccius circa medium currentis Sæculi in numero Generalium Nonagesimus secundus perfecit numerum ternarium in ijs Generalibus, qui ferunt benedictionem in nomine. Sed quid? in nomine tantùm? Absit: Non tantùm nomine, & titulo, sed titulo, nomine, & re fuit ipse Benedictus, Conclamandus propterea illis vocibus festiuis, Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Acta Capitularia de an. 1646 Archiuium Ripul.

Venit etiam in Nomine Domini vltimis hisce temporibus alter Benedictus scilicet Veronensis cognomento Bertia, qui non semel, sed iterùm Generalitiam dignitatem adeptus est, primò quidem in Passinianensi Capitulo sub annum 1679. deindè anno

no 1688. antequam congregarentur Patres ad comitia per Breue Apostolicum Sanctissimæ Memoriæ Innocentij XI. In humanioribus litteris multùm excultus, Poëta Clarus præcipuè in stilo Bernæ, Concionator facundus, & scriptor valdè eruditus inter Vallumbrosanos hac nostra tempestate, vt videre est in operibus typis ab ipso mandatis, præsertim in opere, cui Titulus *L' Idea del Prelato regolare*: Quòd si Benedictum à Monte Luco ter Benedictum cecinit carmen, illud olim inscriptum ad pedes ipsius figuræ minio delineatę in libris Choralibus Vallisumbrosæ; Quantò melius huiusmodi carmen quadrare videtur ad Benedicti Veronensis figuram, hoc est ad supradictam Ideam Regularis Prælati, in qua non tam calamo, quàm morum lineamentis adeò se ipsum exprimere, ac delineare contendit, vt Ideam ipsam ferè assequi videatur.

Archiuium S.Bartholomæi de Ripulis, & memoriæ passim Religionis.

IX.

B. Benignus de Bisdominis originem deducens ex ipsa Nobilissima familia Sancti Ioan. Gualberti Abbatis ab ineunte ætate non obscura dedit futuræ Sanctitatis indicia, nam Puerulus, neglectis puerilibus lu-

dis, abhorrens à ſæculo, & à paternæ Domus commodis, educari voluit inter incommoda Religionis, & ſuo tempore profiteri Vallumbroſanum Inſtitutum, in quo Ieiunijs, & Orationibus intentus æmulator perpetuus apparuit ſeniorum Patrum melioris notæ, & penitioris Diſciplinæ. Cumulauit ad exercitium Euangelicæ perfectionis ſtudium ſcientiarum, & in primis ad Sacræ Scripturæ lectionem aſſiduus, de ſenſibus eiuſdem tractatum edidit valdè eruditum, & ſcripſit Opuſculum cui titulus Clauſtrum animæ, in quo traditur ad rectè viuendum Methodus vtiliſſima, Vndè inter Scriptores Florentinos iuſta de cauſa notatur à Patre Magiſtro Pacciantio Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ, & non minori iure ab Arnoldo Vuion deſcribi meruit inter Sanctos, & apponi ad Martyrologium Benedictinum ſequenti Elogio. *Decimo ſexto Kalendas Auguſti in Monaſterio Valliſumbroſæ Depoſitio Beati Benigni Abbatis Doctrina, & ſanctitate admirabilis*. Ob vtrumque donum admirabile, præterquamquod primarijs omnibus Religionis officijs etiam ſuprema Generalis dignitate fuerit decoratus, in magno etiam eſt habitus honore apud

Archiuium Valliſumbroſę Lignum Vitæ tom. 2 lib. 3. pag. 227.

Del Sera in ſuo Compendio pag. 9.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 27. pag. 219.

Magiſter Pacciantius in Catalogo Scriptorum Florentinorũ littera B. pag. 23.

Didacus de Franchis in Hiſtoria S. Io. Gualberti lib. 8. pag. 286.

apud Honorium Papam III. & Gregorium IX. apud Fridericum ſecundum, & Otthonem quartum Imperatores, & alios Reges, & Principes illius Sæculi. Sanctus Ludouicus Galliæ Rex tunc viuens præcipuè Beatum Benignum coluit, & viciſſim Beatus Benignus coluit Sanctum Regem, eique petenti de Reliquijs Sancti Ioannis Gualberti manum eiuſdem cum parte Brachij benigniſſimè conceſſit, quæ Reliquia in Gallias delata occaſionem præbuit Regi Pientiſſimo ædificandi Templum, ac Monaſterium ſub inuocatione prædicti Sancti Io: Gualberti ſatis celebre in illis Regionibus Vallumbroſella nuncupatum; neque huiuſmodi tantùm Monaſterio, ſed & alijs locis intra Italiam acquiſitis Religionem ampliauit tempore ſui Generalatus Generalis Benignus, illam auxit prouentibus, ditauit redditibus, decorauit priuilegijs tum à Sede Apoſtolica, tum ab Aula Imperatoria Cæſarum impetratis; Cùm autem ad annos plurimos in beneficium Religionis laboraſſet, oneratus tanto pondere ſollicitudinum, mæruit illo beato inuitatorio Chriſti Domini: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, inuitari de labore ad

re-

requiem, de ieiunijs, & abstinentijs ad lautam cænam vitæ æternæ, in qua sine satietate accumbet, & reficietur interminabili pabulo Cœlestis Gloriæ. In quodam antiquo manuscripto aliter describitur Vita B. Benigni, & quidem ferè toto Cœlo diuersa, & est huiusmodi prout sequitur: *Benignus Prouincia Tusciæ comitatus Florentini è castro Monteuarchij, nobili multùm prosapia duxit originem. Hic annis completis infantiæ à Progenitoribus litterarum studio traditur, quibus breui tempore fæcundatur præcauens sibi ab ipsis vitijs, quibus illud hominum genus implicari solet, & vt habuit aliquod discretiuum elegit Christiferam Mariam in Directricem, Gubernatricem, Dominam, & Matrem, cuius fultus auxilijs, proprijs non confisus meritis pergeret securus per abruptas sæculi vias. Intuentes igitur Parentes eius eum aspectu ferè Angelico morum grauitate compositum, sermone facundum, virtutibus ornatum, Clericalis status auidum, quòd Clericus fieret acceptauerunt, & ei Castello Figlini quandam Ecclesiam dare fecerunt: Sumpto postmodum Sacerdotali Diademate, cæpit abstinentia grauiori, ieiunijs, vigilijs, & orationibus, & asperrimo cilicio corpus affligere, largis* ele-

Manuscripta Antiqua in Bibliotheca Magni Ducis Ethruriæ apud Ecclesiam S. Laurentij.

eleemosynis insistere etiam supra posse, non cogitare de crastino instructus Euangelicis *documentis. Eius sanctitati inuidens humani generis, inimicus quandam Iuuenculam in eum mouit, quæ opportunitate capta suum ei desiderium exprimit, & secundò, ac tertiò exprimere non desinit, quoadusque Benignus pro statuta die sceleribus assentiri non negauit. Sed Dei Genitrix Virgo, cui se obtulerat, impediuit facinus, & antequam progrederetur in actum ipse ad se confusus redijt, amarissimè flens, & a Matre gratiæ misericordiam petens, Romam indè fugit, Quadragesimam ibi fecit, confessusque est Pœnitentiario peccatum, & ex tunc repatriatus Mundum relinquens, in Vallisumbrosæ Monasterium sanctitate famosum ingredi omni mora deposita procurauit. Quem Venerabilis Pater Abbas vocatus Tertius gratiosè recepit, &* Habitum Nouitiorum *ei dedit. Habitu Sanctæ Religionis recepto, Regulam sub qua militare Deo volebat cœpit inspicere, & si graue iugum Paupertatis, grauius Castitatis, grauissimum abnegationem propriæ voluntatis inspiceret, tamen in Deiparam, in qua, vt dictum est, spem suam posuerat pleniùs confidens se super se erexit, & statuto tempore, prout ibi moris est, profiteri secundum Sancti Benedicti*

Patris

Patris Regulam, & perpetuò viuere stabiliuit. Professionis Monasticæ Baptismate baptizzatus vir sanctus cœpit omni humilitate, & vestimentorum tàm superiorum, quàm inferiorum vilitate, Orationis longanimitate, patientia, paupertate, charitate, & puritate mentis ità proficere, vt Angelum reputarent humana effigie non hominem. Aliquo tempore Vir Dei cum Fratribus omni perfectione degens ex speciali gratia, vt possit Vitam Eremiticam agere in Eremo non longè à Monasterio obtinuit, vbi tanta sanctitate vixit, quòd testificantibus antiquis loci Monachis, nullus ei similis vmquam ibi fuit. At Martinus in locum Tertij iam defuncti ad Generalatum assumptus, considerans Domini Benigni non modò sanctitatem, sed in agendis experientiam, consilij maturitatem, animique firmitatem, dotes benè proportionatas ad gubernandum dulcitèr de cella extraxit, & visitationem tam in capitibus, quàm in membris totius Ordinis ei plenariè delegauit, & postmodùm Abbatem Sancti Saluij eligi fecit, & confirmauit: In quo viuens officio, tempore non paruo ipsum Cœnobium in spiritualibus, & temporalibus dilatauit. Intereà bonæ memoriæ Abbas Martinus vita præsenti eripitur, & discrepante nemine Abbatum Ordinis, ad quos eli-

gere pertinebat, B. Benignus assumitur, qui graui dolore tactus intrinsecus, deuictus tamen deprecationibus eligentium, & omnium Monachorum astantium Generalis Officium sumpsit, & nulla mutatione sanctæ vitæ facta, idem quod priùs in omnibus, & per omnia perdurauit.

Processu temporis vir sanctus intuens se confectum senio coadunatis Abbatibus Ordinis eorum in manibus officium resignauit: Humilitate intima de officio ipso, si negligentèr peregisset, & de omni grauedine, quàm alicui præter intentionem intulisset, flexis genibus veniam postulauit, & confestim de digno Pastore cum alijs prouisione facta de illius obedientia, vt Eremita esset de cætero postulauit, & ad sacram Eremum remeauit, & ex tunc, vt nihil terrenum sibi diceretur à quoquam omnibus nuntiauit, & quod est affatu mirabile, cùm esset centenarius à ieiunijs, abstinentijs, vigilijs, orationibus, assiduo silentio, lecti duritie, & a recitatione quotidiana totius Psalterij nunquam se dispensauit. Tandem obitum suum imminere prænoscens Fratres ad Cellam Sacræ Eremi euocauit, eis, ad quid vocauerit, enarrauit, Sermone dulcissimo ad obseruantiam Sacræ Religionis confirmauit, Sacramentis Eucharistiæ, & Vnctionis Extremæ multa cum deuotione susceptis, se

Signo Crucis muniuit, oculos in Cœlum erexit, manibus clausis deuotione ineffabili se Deo commendauit, donec inter manus fratrum astantium, & pio fletu Psallentium lætissima facie expirauit, & Sancta eius anima cęlica penetrauit. Videat amicus Lector quantum discrepet hæc ab Historia nostra, Fides igitur sit penes Auctorem ipsius Antiqui Manuscripti, dum ego sentio in hac re, quòd senserunt Bernardus del Sera, Eudoxius Locatellus, & alij Scriptores communiter, à quibus me recedere non iuuat, præcipuè cum eorumdem Chronicæ, & à multiplicitate contestium, & ab auctoritate Scriptorum, & à typis multò magis sint fide dignæ, & longè maioribus fundamentis innixæ, satis admodum probatæ, & omninò autenticæ, vt consideranti patebit.

X.

Benignus Malatesta Nobilissimo Cæsenæ Dominorum Sanguine clarus, eo tempore, quo Simon de Gauille Vigesimus quintus Generalis Vallisumbrosæ secessit in Aemiliam Legatus Apostolicæ Sedis ibi nomine Vrbani VI. bella sedaturus inter ipsos Cæsenæ Dominos, & Proceres Rauennates, amicitiam contraxisse fertur cum ipso Generali,

Arbor Familiæ de Malatestis.
Fragmenta Hist. Ascan. Tamburr.

nerali, & amore captus erga Vallumbrosanum Inſtitutum illud amplecti firmo animo decreuiſſe: ſatisfecit deſiderio, & exequtioni mandauit Sanctum propoſitum. Religionem itaque Valliſumbroſæ ingreſſus omnem operam impendit, & conatum in acquirendis virtutibus ſtatui Religioſo conſentaneis, in quibus valdè profecit, nec ſtudia litterarum intereà prætermiſit. In legendis præſertim hiſtorijs aſſiduus fuit, & quantam ſibi comparauerit eruditionem in hac parte abundè teſtatur liber hiſtoriarum ab eo conſcriptus, & aſſeruatus in Bibliotheca Magni Ducis Ethruriæ apud Eccleſiam Ducalem Sancti Laurentij. Cùm igitur ad ſplendorem agnationis ſuæ multùm accedere exiſtimarent Cæſenæ Domini ſi inter illuſtres Agnates tam probum Virum, tam Eruditum Hiſtoricum deſcriberent, illum meritò deſcripſerunt in arbore familiæ de Malateſtis circa annum ſalutis 1383. & meritò ad nobilitatem familiæ Vallumbroſanæ eum etiam deſcripſit in Arbore Religionis Abbas D. Aſcanius Tamburinus.

XI.

Benignus de Bracciolinis inter Pistorienses apprimè Nobilis Vallumbrosanæ Religioni à teneris annis ascriptus sicuti in Monasticis Disciplinis, ita & in studijs litterarum non mediocriter euasit instructus, & potissimùm in arte concionatoria plures alios concionatores Vallumbrosanos sibi coęuos antecelluit. Cum aliquando concionaretur per Quadragesimam in Albanensi Cathedrali eo tempore, quo Miraculosa Imago Beatæ Mariæ de Galloro propè Ariciam miraculis amplius cępit inclarescere, cogitauit de illo sanctuario Congregationem Vallisumbrosæ ditare. Nec mora, manum operi admouet, media in finem intentum adhibet, & quia non minus in promptu, quàm in gradu efficaciæ idem ferè fuit, & eum petijsse, ac obtinuisse Aedem sacram tum à præcellenti Sabellorum Principum benignitate, tum ab vrbanitate summa Vrbani Papæ VIII. à quo Pontifice & infulas Abbatiales accepit constitutus ipse primus Abbas illius loci erecti per Pontificium diploma in Titulum Abbatiæ. Quantùm vero desudarit posteà Bracciolinus in

Lib Memoriarnm S. Mariæ de Galloro propè Ariciam. Archiuium S. Bartholomæi de Ripulis.

eadem

eadem Abbatia formiter inſtituenda, in excitando à fundamentis frabricam Monaſterij, in comparanda ſupellectili Sacra pro vſu Eccleſiæ, & profana pro domeſticis vſibus, in adunandis redditibus pro ſubſtentatione Monachorum vix credi, vix dici poteſt. Certè tantis tribuitur laboribus, quòd immatura mortè pręreptus ſit nondum expleto trigeſimo quarto ætatis ſuæ anno; Sed conſumatus in breui expleuit tempora multa. Complectitur eius compendioſè laudes Elogium inſcriptum ad eius lapidem ſepulchralem, quod huc de verbo ad verbum fuit tranſcriptum.

D. O. M.

Eximiæ memoriæ huius Ædis Abbatis primi
Domini Benigni de Bracciolinis Baronibus,
Cui Piſtorium Nobilitatem,
Stemma Cæſar,
Vrbanus Octauus Inſulas dedit.
Qui ſe huic Virgini maximæ rerum admirandarum
effectrici
Dedicauit addixitque,
Iamque annis moriens, ne omnis moreretur
Eidem

Eidem in perennitatis obſequium
Hoc Vallumbroſanum Cænobium
Sabellorum Principũ gratia, ope, opibus iuuantibus
Fundauit, erexit.
Congregatio Vallisumbroſæ
Grati animi monumentum poſuit.
Obijt anno ætatis ſuæ XXXIV. idibus Auguſti
MDC.XXXI.

XII.

S. Bernardus Vbertus ex Sorore Nepos Sancti Petri Ignei Cardinalis Aldobrandini nobilitate generis, excellentia virtutis, amplitudine dignitatis ſuprà modum illuſtrauit ſecundum ſæculum Vallumbroſanę Religionis. Inter Scriptores Florentinos recenſet eum in ſuo Catalogo P. Magiſter Pacciantius, de eo mentionem facit in ſuo Martyrologio Benedictino Arnold. Vuion, & Martyrologium Romanum ſub die 4. Decembris. Item Melanus in additionibus ad Vſuardum, & Galeſinus, ac Ciacconius, qui in antiquiori editione hęc ait: *Bernardus Vbertus Florentinus nobili genere ortus, litterarum ſtudijs à teneris annis traditus ſanctiſſimæ vitæ doctrinam ſingularem adiunxit: In ipſo adoleſcentiæ flore caducis*

Alphonſus Ciacconius in Veteri edition. tom. 1. pag. 351.

cis

cis Mundi honoribus contemptis in Monasterio Sancti Saluij propè Florentiam Vallumbrosanæ Congregationis Monasticas vestes assumpsit, vbi longo tempore sanctissimam vitam agens eiusdem Monasterij primùm Abbas, deindè in locum Almarij septimus totius Ordinis Pater ann. 1097. omnium Monachorum suffragijs constituitur, cuius virtutis fama, eum Vrbanus II. sæpè accersiuit, quem sæpè reluctantem, & demùm ad se accedere coactum Cardinalem tituli Sancti Grisogoni renunciauit sub initium anni 1099. a quo, & eius successore Paschali secundo multas legationes imperatas obiuit præsertim illam Longobardiæ ad hæresim simoniacam tollendam, in qua cùm Parmam accessisset mortuo eius Episcopo, totius Cleri, & Populi suffragijs ad Sacerdotium Parmense vocatus est, & à Paschali II. concessus, & consecratus, à quo etiam post eius obitum inter Sanctos relatus est.

Martyrolog. Benedictinum ad diem 4. Decemberis

Martyrolog. Romanum ad eumdem diem.

Bernard del Sera in suo Compendio pag. 6.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 11. pag. 197.

Vita S. Bernardi conscripta à D. Thesauro Veli.

In Ecclesia Cathedrali Parmæ eius sacrum Corpus honorificè asseruatur; & ad eius sepulchrum visitur statua super Altare erecta totam Sancti Bernardi in Episcopali habitu figuram continens, vbi diuinitùs multa patrantur miracula: Celebratur solemnitèr quotannis festum eius à Reuerendissimis Canonicis illius Illustrissimi Capi-

tuli

tuli die 4. Decembris, qua die etiam celebratur apud Vallumbrosanos sub ritu duplici secundę Classis cum octaua tanquam de Insigni Patrono Ordinis, erga quem verè extitit beneficentissimus, nec minorem beneficentiam ostendit erga Sanctam Sedem. Cùm enim tertia lectio Secundi Nocturni, quę recitatur in eius officio sic incipiat: *Bernardum maximè coluit Mathildis Comitissa optima fœmina, cuius cura publicum donationis instrumentum ipsa Venerabilis Comitissa bonorum tàm, quæ in Italia, quàm quæ vltra Alpes possidebat, Sedi Apostolicæ instaurauit.* Hinc profectò clarissimè demonstratur eius beneficentia in eandem Sanctam Sedem, Et euincitur saltem indirectè benemerentia etiam cum Sede Apostolica Religionis Vallumbrosanę, quę in suo Alumno dedit Petri Successoribus tantum ampliatorem Ecclesiasticæ Ditionis, & Pontificij Dominij, mediante videlicet donatione tot bonorum amplissima, quam Sanctus Bernardus Vberti impetrauit ab eadem Comitissa Mathilde. Extat Romę vera Sancti Bernardi Effigies apud Eminentissimum, & Reuerendissimum Leandrum Cardinalem Coloredum, quam pius Purpuratus de Originali existenti

Lectiones Officij S. Bernardi.

ti

ti Parmę optimi Pictoris pennicillo delineandam curauit, & in suo Sacro Museo reposuit vnà cum Imagine Sancti Petri Ignei inter Imagines aliorum Cardinalium, qui sanctitate floruerunt, ad quorum Ideam ita sese instituere conatur, vt iam inter Sanctos depictos coloribus Coloredus à virtutum realibus delineamentis viua omnibus appareat imago Sanctitatis: Qui fusiùs desiderat habere gesta Sancti Bernardi Cardinalis perlegat vitam eius descriptam à D. Thesauro Veli Vallumbrosano in lucem ab ipso editam Romę anno 1612. dum esset Abbas Sanctę Praxedis de Vrbe, & dicatam Cardinali Farnesio tunc Parmensi Episcopo, sicut perlegere poterit Bernardum del Sera, Eudoxium Locatellum, & alios, ad quos remitto cupidum Lectorem.

XIII.

Venerabilis Bernardus Gianfigliazzi circa finem quarti Sęculi Religionis Vallumbrosanę non minus effulsit ibi à splendore Natalium, quam à viuidiori luce tum moralium, tum intellectualium virtutum. His dotibus se præbuit dignum primarijs dignitatibus, etiam suprema Generalatus, & omnia munia sicut iustitię titulo sibi

Del Sera in suo compend. pag. 16.
Eudox. Locatell. lib 2. cap. 64. pag. 272.
Arnold. Vuion in lign. Vitæ tom. 1 lib. 1. pag. 55.

promeruit, ita ſecundum rectam iuſtitiam ſemper adminiſtrauit; Imitatus in primis in modo gubernandi Regulam Gubernantis Supremi, nempè Dei, qui præmiare dicitur vltra condignum, & citra condignum punire, nullus in eo finis fuit prę- miandi viros emeritos, cùm è contrà ſumma fuerit eius cautela in puniendo poſitiua poena delinquentes, nunquam tamen permiſiit in præiudicium magis digni minus dignum aſcendere ad gradus, & miniſteria Ordinis, quem abuſum cœteroqui deflebat irreptum ex violentia fauorum externorum, vt apparet in epiſtola ab eo ſuper hac re ſcripta ad Cardinalem Angelum Acciaiolum tunc temporis Protectorem, in qua eius implorat auxilium ad tale malum auertendum, & à Religione eliminandum; Huiuſmodi proficuo zelo cùm ad annos 22. Bernardus Gianfigliazzi in omni prudentia, & iuſtitia Congregatiouem rexiſſet, ad iuſtitiæ coronam in Cœlo capeſſendam vocatus eſt anno 1422. vt referunt Scriptores Vallumbroſani, & antiquæ memorię Congregationis.

XIV.

Bernardus del Sera Patria Florentinus,

pro-

professione Monachus Vallumbrosanus in diuinis Scripturis valdè eruditus, & in alijs quoque scientijs doctus, ingenio clarus, & sermone compositus, varia scripsit, inter quę ad Reuerendissimum Generalem Blasium de Milanesijs Compendium Generalium Vallisumbrosæ vsque ad annum 1510. insuper scripsit gesta ipsius Abbatis Blasij vsque ad annum 1511. in quo moriens, teste Didaco de Franchis, reliquit hoc opus imperfectum: mortuus Bernardus conditus est in monumento; sed de monumento ipse non est visus fętere quamuis quater quatriduanus, nam si Bernardum, quasi ferens nardum ab ethymologia nominis dicunt, in suis virtutibus verè indè spirat adhuc mystici nardus odorem suauissimum.

Abbas Didacus de Franchis in Citatione Auctor. ad suam Historiam: Memoriæ Religionis.

XV.

S. Berta de Bardis Lotharij Comitis filia Monialis fuit Florentię in Monasterio Sanctę Fęlicitatis Ordinis Cassinensium à teneris annis ibi educata, & dudum iam desponsata Cœlesti Virginum Sponso Christo Domino, cui studuit placere semper magis, ac magis à specie sua, & pulchritudine sua, quę in dies ab ornamentis virtutum, in ipsa augebatur. Vndè Sponsus

Siluan. Razzi in Sanct. Ethrur: Petr. Calzol. in Chronologia Monastica. Bernard. del Sera in Vita Generalis Guald. pag. 7: Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 18. pag. 216. Lignum Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 226.

Diuinus sibi complacuit in ea, & multum ei tribuit de donis gratuitis, & de coelestibus thesauris suis, quibus Virgo ditata, & lampadem charitatis pre manibus accensam gestans, mirum est quantùm inter alias Virgines illius Monasterij ipsa preluxerit. Certè à tanta luce percussus D. Gualdus Generalis Nonus Congregationis Vallisumbrosę cùm Cœnobium Monialium de Cauriglia in Regione Vallis Arni reformandum suscepisset non nisi Bertam elegit ad hoc opus, ad quod tamen priùs elegerat, & preelegerat Deus, qui hortum illum conclusum, sed satis incultum, mediante ipsius diligenti cultura voluit ad formam Cœlestis Viridarij pro delicijs suis redire. Translata igitur sanctimonialis Berta de Monasterio Sanctę Fęlicitatis ad illud Sanctę Mariæ de Cauriglia totum pręstitit, quod ab ea Cœlestis Sponsus requirebat in beneficium illius Loci, & Monialium, quas cum in Officio Abbatissę plurimos annos sanctissimè gubernasset meritis plena, & miraculis clara ad amplexum Diuini Sponsi anno salutis 1160. Die Sancto Paschatis migrauit; Et benè lętata est cum Christo in Gloria Resurrectionis, quę tantùm doluerat in

hebdo-

hebdomada doloroſa de dolore ipſius acerbiſſimę Paſſionis. In Martyrologio Benedictino annunciatur eius natalis dies his verbis: *Nono Kalendas Aprilis in Cœnobio Cauriglię Depoſitio Sanctæ Bertæ eiuſdem loci Abbatiſſæ Ordinis Valliſumbroſæ miraculis claræ*. Meminere huius ſanctimonialis alij Auctores, qui citantur in margine.

XVI.

Venerabilis Blaſius de Milaneſijs Generalis ille celeberrimus Congregationis Valliſumbroſę, qui propter immenſa beneficia Religioni pręſtita, & virtutum exempla Secundus Ioannes Gualbertus meruit appellari, natus eſt Florentię anno ſalutis 1445. de claris parentibus cum nobili Ardinghellorum familia ſanguine iunctis. Ab ipſa infantia ſpecimen ſingulare dedit Chriſtianę pietatis ſolitus adire frequentèr Eccleſias, & Oratoria, & in eis prolixiùs orare tanta compoſitione corporis, & oris maieſtate, quanta vix alius vnquam viſus eſt oraſſe in meditationibus probatus adultus; Libentèr accedebat ad Monaſteria Religioſorum cupidus addiſcendi ab eis, & rudimenta litterarum, & documenta virtutum; Adibat præcipuè Monachos Sanctiſſimæ

Trini-

Trinitatis Ordinis Vallisumbrosę, iuxta quos sita erat paterna Domus, & erga eorum institutum summopere videbatur accensus, quem postmodùm alacri animo amplexus est; Cùm nec blanditijs, nec minis Franciscus Milanesius eius Genitor à sancto proposito constantem adolescentem potuerit amouere; Filius enim Patrem aduersarium in via Dei sentiens, iuxtà monita Euangelica per D. Gregorium exposita, sapienter odio habendo, & fugiendo nesciuit. Monachum igitur indutus Blasius noster, & iter aggressus in Religione per arctam viam, quę securiùs ducit ad vitam prosiliuit statim vt Gigas ad currendam eam passibus propèmodùm Giganteis: Et hinc documentum habeas clarissimum huius historię, quòd nondùm expleto decimo octauo ętatis anno, dignus reputatus sit, inaudito penè exemplo, cui daretur magisterium, & pręfectura Nouitiorum, quemadmodum ei data fuit de facto à D. Francisco Altouiti Sapientissimo tunc Generali Ordinis, à quo & post sexennium Prior Claustralis, mox Decanus Vallisumbrosæ creatus fuit, donec ipso Generali defuncto, in eius locum suffectus est annum agens trigesimum

quin-

quintum in Capitulo celebrato Reparationis anno 1419. Verùm quia electio incidit in schismate Isidori, seu, vt alij dicunt, Isideri Passinianensis Abbatis electi ex alia parte à Monachis Sansaluinis, qui iam desciuerant à Monachis Vallisumbrosę, hinc apud illos ab initio multum nutauit eius auctoritas, qua tandem firmata per Breue Pontificium Sixti IV. emanatum ad iustas preces Oliuerij Cardinalis Carafę specialiter deputati ad perorandum in Consistorio coram Pontifice super tali causa, etiam à Sansaluinis debitam assequtus est obedientiam, eosque perpetuò vniuit tanquam membra suo vero capiti Generali Vallumbrosano pro tempore futuro; Opus non minus in ijs circumstantijs arduum, quàm Religioni perutile, quo nempè Monasterium insigne Sancti Saluij, & septem alia ab ipso dependentia scilicet S. Michaelis de Passiniano, S. Fidelis de Puppio, S. Pancratij Florentię, Sancti Michaelis de Senis, S. Michaelis de Pistorio, Sanctę Marię de Monte Plano, Sanctæ Praxedis de Vrbe iam pridem diuisa à reliquis Monasterijs Archicoenobio Vallisumbrosę subiectis, iterùm in vnam Congregationem Vallumbrosanam coaluerunt, pro

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 39 pag. 285.
Archiuium Vallisumbrosæ & Ripuleni.
Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 56.

pro qua amplianda indefeſſus ſemper fuit Generalis Blaſius, qua nouas fundans Abbatias, qua fundatas reſtaurans, qua Eccleſias ædificans, qua ædificatas exornans, hic ſtudia erigens, illic Profeſſoria pro iunioribus inſtituens, altero pro loco defendens immunitatem debitam, pro alterò iuriſdictionem amplificans, vbi extirpauit abuſus, vbi Regularem diſciplinam promouit, fouit humiles, ſuperbos humiliauit, in ordinem redegit rebelles, & contumaces. Interfuit Concilio Lateranenſi celebrato ſub Leone Decimo, & eius nomen notatum reperies apud Binium: In proſperis non elatus, quamuis amorem, & beneuolentiam promeruiſſet multorum Principum Cardinalium, & Pontificum Romanorum præcipuè Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. & Iulii II. Moderationem tamen animi ſemper eodem tenore ſeruauit inalterabilem, adeòut dignitates Eccleſiaſticas etiam primarias videlicet Cardinalatum ipſum non ſemel vltrò ſibi à Iulio II. ſpecialitèr oblatum humilitate ſumma recuſauerit. In aduerſitatè nunquam deiectus, cum cauſa benè gerendi officii ſui, & iura ſuſtinendi, ſicut inuicto ſemper animo, & ſacerdotali

Binius tom. 4. Concilior. Seſſ. 8. pag. 590.& ſeſſ. ae 1. 2.

pectore

pectore ſuſtinuit ſuarum Abbatiarum, non modo Magiſtratuum Sæcularium, ſed & Eccleſiaſticorum præpotentium indignationem incurriſſet, vndè vſque ad Vincula, Carceres, & exilia fuit ipſe diuexatus, vexationes omnes inuicto animo tolerauit, quinimmò in eis iuxta Euangelicam Sententiam ſe ſe dixit Beatum, quòd nimirum perſequtiones pateretur propter iuſtitiam. In ſumma igitur rerum varietate cùm ad annos plurimos ipſe ſemper idem prouidus Pater, & ſemper beneficus erga ſuam Religionem eidem inſeruiſſet, tandem in Pontificatu Hadriani VI. cùm à Territorio Caietæ, vbi exulabat, reuocatur ab exilio, & Romæ de Menſe Iulij in Monaſterio Sanctæ Praxedis magna ſuorum filiorum lætitia excipitur, celebratis in Feſto Sancti Ioannis Gualberti Miſſarum ſolemnijs debilitatas ex itinere, & erumnis preteritis perſentiens vires, mox à Calore febrili grauiter decumbens intra paucos dies Spiritum Deo reddidit 22. eiuſdem Menſis Iulij anno Chriſti 1523. ætatis ſuæ 69. Vir verè magnus, & dignus qui viuat in memoria Sæculorum. Eius corpus fuit condigno honore tumulatum antè peranti-

Lib. Memoriarum S. Praxedis de Vrbe.

quam Cappellam Sanctiſſimæ Columnæ, ad quam fuit Chriſtus Dominus flagellatus ſex mille ſexcentum ſexaginta ſex ictibus flagellorum in Paſſione ſua. Poſtulantibus deindè eius oſſa Monachis Cęnobij Valliſumbroſæ illuc poſt Biennum tranſlata ſunt anno videlicèt 1525. Et ibi apud alios Venerabiles Patres Ordinis magna veneratione collocata.

C. Ve-

C
I.

VEnerabilis Caluanus inter Florentinos valdè nobilis vt potèqui nobilissima Saluiatorum Stirpe progenitus Institutum Vallumbrosanum Sancti Ioannis Gualberti professus apud Insignem tunc Abbatiam S. Saluij propè Florentiam, & ibi processu temporis creatus Abbas, quanta fuerit virtute præditus, & morum honestate conspicuus clarissimum tenemus argumentum à veneratione maxima, quam ei profitebantur Ethruriæ Populi, & Proceres Florentini, Viri probatissimi, & in dignitate constituti, inter quos ipse Sanctissimus Antoninus Ciuitatis Archiepiscopus ei coęuus: ipsum etiam non mediocri prosequutus est amore simul, ac honore Nicolaus V. Summus Pontifex, qui permotus eius fama Sanctitatis iam longè latèque diffusa ei obtulit Generalatum, & Regimen totius Congregationis Vallumbrosanæ, à quo tamen honore, & onere suscipiendo Caluanus abstinuit, tùm causa proferendæ humilitatis, tùm ex motiuo non retrahendi

Archiuium Vallisumbrosæ Bernard. del Sera in Vita Generalis D. Francisci Altouiti pag. 17. Eudox. Locatell lib. 2. cap 66 in Vita Placidi de Pauanellis circa fin. cap. 66. pag. 278.

ſpiritum àdiuinis contemplationibus, in quibus erat aſſiduus, &quarum delitijs plurimùm delectabantur. Quemadmodum igitur in amplexu Domini vixit Caluanus media nempè vnione affectiua ſecum charitatis, & gratiæ, ac altiſſimæ dono contemplationis, ſic in oſculo Domini migrauit è vita in Cęnobio Valliſumbroſę circa annum reparatæ ſalutis 1458.

II.

Caluanus Alter Ordinis Valliſumbroſæ Abbas, ſed illius Abbatiæ, quam olìm ſub inuocatione Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti apud Soanam Patriam ſuam fundauerat Hildebrandus Monachus Inſtituti Vallumbroſani ibi profeſſor, poſteà Cardinalis, & Pontifex dictus in Pontificatu Gregorius VII. de quo infra littera G. Circa ann. 1580. vt ferunt monumenta illius Ciuitatis, & Congregationis noſtræ Memoriæ, cumulauit Abbatialem dignitatem ſuam munere præſtantiſſimo Vicarij Generalis Epiſcopi Soanenſis, & vt erat Verbi Dei Declamator inſignis, non minus robore accumulatæ poteſtatis, quàm exercitio Euangelicæ prædicationis ſanctificauit Populos ſibi ſubiectos, & Vniuerſam Diœceſim illam.

Memoriæ Soanenſ. Eccleſiæ. Fragmenta Hiſtoriar. Aſcan. Tamburin.

Cam-

III.

Cammillus de Turre Nobilis Bergomates Monachus, & Abbas Vallumbrosanus emensis iam omnium aliorum graduum curriculis vno excepto Generalatu, Romam profectus est ad Capitulum Generale celebrandum tunc in Monasterio Sanctæ Praxedis de Vrbe anno 1666. vbi diù pendente Vrna Vocalibus in duas partes ferè æquales diuisis erga alios duos emeritos eligendos viros, Tandem recedentibus ab vtroque, & conuenientibus illis in vnum tertium ipse communi omnium consensu euectus est in Generalitiam Sedem, quam sibi præsagire videbantur illa duo sceptra, quæ in Gentilitio eius stemmate conspiciebantur opposita. Sceptro igitur Vallumbrosano potitus regia propèmodum gubernauit maiestate, non tam affabilis, quam seuerus in Subditos, prout in eorum virtutes offendebat, aut vitia, & ne vulgare eluderet proloquium, quo dicitur: *Conueniunt rebus nomina sæpè suis*, è Turri, quam etiam in stemmate æquè ac in cognomine gestabat, didicit, quid sibi conueniret, nempè Turris proprietates, quæ omnes certè in ipso sunt inuentæ. Celsitudo in sublimitate

Archiuium Ripulense. Lib. memoriar. S. Praxed. de Vrbe, S. Sepulchri de Astino. S. Mariæ de Vallumbrosa.

tate

tate Ingenij, Latitudo in amplitudine Mentis, Profundum in profunditate sermonis, & ne deessent Excubiæ accessit eius Vigilantia Pastoralis. Securitas verò quam præstitit confugientibus ad ipsum, vt ab inimicorum insidijs haberent effugium nullam reliquit dubietatem, quo minus poterit ipsa vocari vera turris fortitudinis, de qua etiam affirmari, quod de Mistica Turri Dauidica Sacræ testantur Paginæ mille clipei pendent ex ea, in defensionem videlicet subditorum, & iurium Religionis sibi commissæ, & quidem ijs temporibus præcipuè necessarij, quando pro parte aliquorum alterius Congregationis plus æquo iura Congregationis nostræ Vallisumbrosæ oppugnabantur, quorum repulit ictus obiectis clipeis Validissimæ defensionis suæ, & vt sine methaphoris loquar patrocinando fortiter causam suæ Congregationis contra aduersarios, & hoc in gratiam Vallumbrosanorum, patrato opere accessit Cammillus ad finem Generalatus sui, & in Capilo Generali peracta electione successoris ipse electus est Abbas Archicænobij Vallisumbrosæ, vbi septuagenario maior infra biennium decessit è vita anno Domini 1672.

reli-

relicta post se fama insignis Viri.

IV.

Venerabilis Cæsar Mainardes Ciuis Florentinus de re litteraria, & de obseruantia Regulari in Religione Vallumbrosana apprimè benemeritus occurrit hic annotandus, qui Florentiæ natus sæculo præterito circa annum Domini 1550. liberalibus Disciplinis diligentem nauauit operam ab ipsa adolescentia sua, & ea donatus fuerat ingenij docilitate, & in accipiendo fæliciter, quæ à Magistris tradebantur, celeritate, vt supra condiscipulum quemque in ijs dotibus præcelleret; Præcellebat quoque sodales suos in dote Pudoris, & Verecundiæ fugiens quasi à facie Colubri à quolibet Vitio præsertim modestiæ opposito, sicuti & Abhorruit ab omni commercio illorum, quos fortè reperisset minus quàm verecundos, & honestos. Duodecimo completo suæ ætatis anno educandus excipitur in Tyrocinio Vallumbrosano, & vbi per ætatem ipsam licuit, ad annum probationis admissus, & indè ad solemnem professionem, quasi apis argumentosa in huiusmodi mistico Ecclesiæ Viridario Domino deseruire studebat, nam ad exemplum Magni Antonij, quem-

Archiuium S.Bartholomæi de Ripulis.

Lib. Memoriarum S. Michaelis de Passiniano præcipuè liber signatus B. pluribus in locis.

quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitandum sibi proponebat æmulando semper Charismata Meliora; quo factum est, vt congerens in se quidquid excellens esset in alijs ipse omnium excellentissimus appareret; Vnde ab excellentissimis Meritis expetitus ad gradus, ad illos à superioribus promoueretur, & laudabiliter admodum peractis inferioribus officijs, assumeretur iam ad munus præstantissimum Abbatis, & destinaretur ad conspicuas regendas Abbatias, in quibus præcipuè essent Collegia Studiorum, vt nimirum sub nouo nostri temporis in Ethruria Mecenate aleretur Vallumbrosana Iuuentus ad omnia genera litterarum. Quambenè responderit in hac re expectationi publicę Cæsar Mainardes abbundè testantur Memoriæ Religionis præsertim Passinianensis Abbatiæ, è quibus compertum habemus, quòd illius Lycei Alumni apertissimè profitebantur, plus ab vno Mainardo Abbate, quàm à pluribus Magistris, se se didicisse. Omnibus Mainardes intererat functionibus litterarijs subtilissimas semper proponendo difficultates, quarum solutiones sin minus exciperet à Lectoribus, ipse subti-

litate

litate pari, & claritate explicabat, soluebatque ad captum discipulorum, quos numquam cessabat erudire in domesticis etiam colloquijs, vel ad facultates ipsas scholasticas, vel ad poesim, & humaniores litteras, vel ad cognitiones historiarum, vel ad studia Hebraicæ, & Græcæ linguæ, in quibus erat ipse peritissimus, adeout vbicumque Mainardes reperiebatur ibi & nobilis omnium facultatum, & scientiarum Academia instituerετur. Neque indè credas, Virum taliter studijs intentum minus aptum fortè euasisse circa gubernium reifamiliaris, nam indesessa quadam diligentia concreditas sibi Abbatias in temporalibus etiam laudabiliter administrauit; verè Cæsar, qui vno eodemque tempore pluribus intentus omnibus tamen fuit æquè satis, & adeò fuit satis in linea Oeconomiæ, vt peritissimum quemque Oeconomum coæquauerit; cæteros autem omnes posteà sui Aeui Abbates visus est superasse Cæsar in Zelo Monasticæ Disciplinæ, & quidem tanta cum facilitate, & fęlicitate simul hanc apud subditos est adeptus, vt nullus eo fælicior apparuerit in consequenda apud Monachos Regulari obseruantia, inerat enim ei singula-

Oratio Vulgari lingua in eius funere per D. Augustinum Gareũ elucubrata & in lucem edita Florentiæ anno 1613. ex Typographia Cosimi Turetti.

gularis quędam efficacia , & Virtus in sermone , quo trahere poterat quocumque vellet animos , & voluntates Monachorum , & illos ſibi deuincire cum funiculis Adam , cum Vinculis charitatis ; Si quos inueniebat tranſgreſſores Legis, & Regulæ, inſtruebat in ſpiritu lenitatis , gaudebat cum gaudentibus , flebat cum flentibus, & omnibus omnia factus eſſe videbatur , vt omnes Chriſto lucrifaceret ; Lucrifecit profectò quamplurimos tùm efficacia Verbi , tùm raro vitæ integerrimæ Exemplo, nam poſthabitis quibuſcumque commodis ipſe prior amplectebatur incommoda , quæ ſecum fert Vita Monaſtica , ipſe prior aderat Choro nedum diurnis , ſed & nocturnis horis , ipſe communis Menſæ cibis communibus contentus , ipſe ſtatis temporibus regularia Ieiunia obſeruauit ad vnguem , ipſe ſecundùm omnem apicem adimpleuit leges à Sanctiſſimo Patre Legiſlatore præſcriptas , ipſe Conſtitutiones Vallumbroſanas , ipſe capitulares ordinationes , à quibus nullum paſſus eſt habere Priuilegium , ſecum repetens illam D. Bernardi Theſſeram. *In tantùm lucraris , in quantùm grauaris* , & cùm tot grauatus cu-

ris ,

ris , studijs , & laboribus debilitatem stomachi contraxisset, vnde non minus amicorum , quàm medicorum adhortationibus ferè cogeretur ad indulgendum aliquantisper sibi , & præcipuè vt dimitteret vsum accedendi ad Matutinum de nocte causa euitandi nocturnas Vigilias plurimùm sibi noxias , non acquieuit consilijs eorum, nec dispensari voluit à tam incommodo exercitio iterùm repetens ea Verba *in tantùm lucraris , in quantum grauaris* . Quantùm igitur lucri reportauerit pro anima sua Mainardes Disce Lector à Mensura ponderis , & laborum , quæ ipse constanter , & indispensabiliter subijt ; Cùm autem Ideam Perfecti Prælati representent illa quatuor Ezechielis animalia , siue illud vnum animal , vt alij volunt, in quatuor facies distinctum, adeòut Præsul debeat esse secundùm Sacros Interpretes, Bos per laborem, per fortitudinem Leo, per compassionem Homo , Aquila per scientiam , & contemplationem ; En omnia hæc requisita in vno Emeritissimo Abbate Cæsare Mainarde , cui propterea si Diuinæ gloriæ currum trahere contigit in terris per laboriosum Superioris onus , iam sedere nunc su-

per currum Beatæ gloriæ continget in Cælis per dignum præmium, & mercedem laborum. Sed excipe iam benigne Lector, breue Elogium, & Epigramma ad eius ſepulchrum, vbi iacet, oppoſita in Eccleſia Paſſinianenſi.

D. O. M.

D. Cæſari Mainardo Florentino Abbati huius Cęnobij
Viro integerrimo, Pietate ſingulari;
Omnium virtutum genere ornatiſſimo.

EPIGRAMMA.

Vixiſti, ac tandem Cæli te Regia Cæſar
Excepit tutum, iam propiore Deo.
Iuſtitia, & pietas viſæ ſunt viuere tecum.
Hæ quoque ſuut viſę, te moriente, mori.
Vixit annos LIX. menſes IV. dies XXIX.
Obijt 3. Auguſti M.DC. XIII.

V.

Chryſoſtomus Familia de Talentis, Verè multis à Deo Talentis ditatus ea magno ſuæ lucro gloriæ, & Religionis Vallumbro-

brosanæ decore multiplicata Domino suo reportauit, reportando videlicet famam præclarissimi Oratoris, & Vatis eximij in nobilioribus Italiæ Academijs, adeò vt elucubrationes eius pluries fuerint Typis mandatæ Foroliuij, Bergomi, Bononiæ, Florentiæ, ac Romæ, vt apparet in fronte operum; Nec minor ei cura fuit reportare duplicata dona, & talenta supernaturalia gratiæ in operibus meritorijs æternæ Vitæ: Floruit initio currentis sæculi, vt ex ijsdem eius operibus.

Archiuium Vallisumbrosæ, & Ripulen. Orationes eius typis mandatæ.

VI.

Colombinus de Alphiano vir summæ amabilitatis, qui ex Abbate Sanctæ Praxedis post Præsidentes Triennales electus est tempore Gregorij XIII. primus Præsidens quadriennalis, præter alias facultates, in quibus erat non mediocriter versatus; Versatissimus præcipuè fuit in peritia linguarum Hæbraicæ, Græcæ, & Latinæ, quarum formale studium erexit in Archicænobio Vallisumbrosæ dum esset Abbas illius Monasterij; Meritò igitur Cardinalis Vincentius Iustinianus tunc Protector Ordinis Abbatem tam dignum, tantis ornatum

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tomo 1. lib. 1. pag. 58. cap. 35.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 68. pag. 325.

tum Virtutibus ad Apicem Generalatus promouendum curauit adiecto insuper priuilegio quarti anni pro illo officio, vt ex Pontificio diplomatè emanato die prima Martij anno 1575.

Archiuium Ripulen. Memoriæ Sanctæ Praxedis.

VII.

Cornelius à Prato Veteri Monachus Vallisumbrosæ describitur in fragmentis Historiarũ D. Ascanij Tamburini circa annum 1552. celebraturque ab eodem vt subtilissimus Methaphisicus, & Insignis Theologus illius temporis, imò etiam annumeratur inter Scriptores Vallisumbrosanos, cum ipse varios tractatus scientificos euigilauerit, & præ cæteros eruditissimum de Incarnatione Diuini Verbi.

Manuscripta D. Ascan. Tamburini.

V.III.

Cosmas Salinus inter suos argutos Sales Solidum neruum Nactus Artis Rethoricæ, Dum esset Magister Monachorum Vallisumbrosæ in lucem edidit librum in hac materia eruditissimum refertum opportunis præceptis pro humaniorum litterarum studiosis, cuius titulus hic de Verbo ad Verbum transcribitur prout iacet in Frontespitio eiusdem libri.

Archiuium Vallisumbrosę & Ripulen.

Liber Rethorices ab eo typis Mandatus.

Gra-

Graphis Oratoria,
In qua
Cuiuſcumq; Orationis, quæ vel ad demonſtratiuum
Vel ad deliberatiuum genus ſpectat
Breuis expedita, & aperta
Componendæ ratio deſignatur
Auctore
R. D. Coſmo Salino Florentino
Magiſtro Vallumbroſano
Florentiæ typis Amatoris Maſſæ 1648.
Superiorum permiſſu.

D. Da-

D

I.

Archiuium S. Bartholomęi de Ripulis. Lib. Memoriarum Sanctæ Praxedis de Vrbe. Inscript. eius ibi in Lapide apud Claustrum, & apud Sepulchrum.

DAniel Sersalis Neapolitanus Nobilissimis ortus parentibus, nempè ex Ducibus Cerisani, & aliorum Neapolitani Regni Feudorum Dominis Originem altiùs trahens ab Antiquissimis Surrenti Principibus supra duodecim Germanos fratres numerans Sago, & Toga Clarissimos præcipuè D. Didacum Sersalem Archiepiscopum Barensem, & D. Vincentium Sersalem in professione Militari Ducem Strenuissimum, Germanorum suorum, quinimmò Parentum, & Proauorum omnium ęmulatus virtutes earum nitore non minus quàm splendore Natalium, & Societatem Iesu, cuius Instituto primùm adhæsit, & Religionem Vallisumbrosæ, quam posteà ingressus est, mirificè illustrauit. Sicut autem vniuersaliter apud Magnates & Principes fuit in honore habitus, sic in primis fuit Carus Alexandro Papæ VII. à quo per Breue Pontificium creatus est Procurator Generalis in Curia Romana, & postmodum Abbas Generalis totiùs Congregationis Vallisumbrosę

broſę eo motiuo Pontificis animum ad hoc impellente, vt nimirùm ſub regimine tam digni Præſulis, cuius benè nouerat zelum, Regularis Obſeruantia inter Monachos Vallumbroſanos magis magiſque refloreret; Res accidit ad votum Pontificis, nam Serſalis auctoritate ſtudio, & labore Monaſticę diſciplinæ rigor ſummoperè propagatus eſt, & cum ipſe à Niſſęno optimi ſuperioris accepiſſet definitionem, in qua dicitur. *Is eſt ſuperior, qui eſt vitij aduerſarius, & virtutis adiutor*: præcipua ſemper ei cura fuit, vt talis definitio ſibi competeret Definito in delinquentibus vitia puniens, in probis, ac Deum timentibus pręmians virtutes, & merita. Ad ampliandam Religionem ſedulò incumbens vnionem Monachorum Syluestrinorum cum Vallumbroſanis procurauit. Cęterùm nouis emergentibus motiuis, & iuſtis ſuperuenientibus cauſis præfatæ vnionis diſſolutionem itidem curauit. Incurrit aliquando Serſalis cenſuram nimiæ auſteritatis in præcipiendo Regularem obſeruantiam, ſed cum hic Murmur fuerit inter eos, qui fingunt laborem in præcepto non modo quidquam per talem detractionem detrahitur ab eius gloria, ſed potiùs per

eam plurimùm augetur, quæ & augetur ampliùs à munificentiæ eius operibus gloriosis, & sunt in primis Sacellum satis Nobile ab eo Romæ extructum sumptibus sui particularis pecul ij in honorem Sancti Patris Ioannis Gualberti intra Ecclesiam Sanctæ Praxedis propè Secretarium, Cubicula satis ampla in superiori parte Monasterij extructa similiter, & decenter ornata ad commoditatem futurorum pro tempore Abbatum eiusdem Abbatiæ; Nouus accessus fabricæ in Monasterio Ripulensi iuxta Cameras Generalitias, & alia alibi constructa ædificia; quibus relictis ad æternam sui memoriam munificentiæ Monumentis nondum absoluto quadriennio Abbatiatus in supradicta Abbatia Sanctæ Praxedis, quam functus iam Generalatus officio gubernandam delegerat loco Sedis Episcopalis, quæ ei destinabatur in terris, transijt, vt piè credendum est, meliori sorte ad sedendum in sedibus, quæ promittuntur in Cælis ijs, qui relictis omnibus sequti sunt Dominum, Migrauit autem die 21. Decembris anno 1668. ætatis suæ 63. Corpus iacet sub lapide sepulchrali, quem sibi viuens posuit in supracitata Cappella S. Patris Ioannis Gualberti.

Dida-

II.

Didacus de Franchis Nobilis Ianuensis summę Vir eruditionis, ac litteraturę vt potèqui Rethor, Historicus, Astronomus, Philosophus, ac Theologus, & currentis Sęculi in Vallumbrosana Religione Scriptor percelebris diligenti stylo elaborauit Historiam S. Ioannis Gualberti refertam eruditionibus penè dixerim infinitis, quam dicauit Magno Ethruriæ Duci Ferdinando II. vt videre est in fronte Operis: Multis præfuit Abbas Monasterijs, & quidem in omni Zelo, & Monastica Disciplina; specialiter gubernauit Abbatiam Sanctæ Praxedis de Vrbe, vbi commorans inter Consultores Indicis cooptatus est, & eidem Sacræ Congregationi studiosis laboribus suis plurimùm inseruiuit. Ad regendam demum Abbatiam Sanctæ Reparatæ propè Marradium in Confinijs Aemiliæ cum Ethruria ad radices Alpium translatus ibi è Viuis ereptus est circa annum Domini 1649.

Historia S. Io. Gualberti edita in lucem Florentiæ an. 1640.

Archiuium Vallis Vmbrosæ, & Ripulense, et passim Mamoriæ Religionis.

III.

Beatus Dominicus vnus fuit ex Dscipulis Sancti Ioannis Gualberbi notatus in serie Discipulorum eius à Didaco de Franchis in sua Historia, qui Auctor pluribus

in locis de eo ſermonem habet referens, eum fuiſſe conſtitutum ab eodem S. Ioan. Gualberto Vicarium ſuum in Regimine Monaſterij Sanctì Salui, cui & poſteà præfuiſſe cum Titulo, & Auctoritate ſuprema Abbatis. Hic probatæ Virtutis dedit ſpecimen ſingulariter in ea Simoniacorum irruptione, qua totum penè Monaſterium Sancti Salui conflagratum, ac deuaſtatum eſt Monachis vndequaque crudeliter ſauciatis, ipſe enim primus viſus eſt ad ſignum, & ſcopum tanti furoris à Crudelibus Hæreticis priùs in contemptum denudatus, deindè fuſtibus cæſus, poſteà plagis, & vulneribus affectus, & ad necem vſque deductus, vt referunt Andreas Ianuenſis, & S. Attho Piſtorienſis Epiſcopus, & Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in ſuis reſpectiuè hiſtorijs. Cùm aliundè Dominicus Noſter ſciens Eccleſiam non eſſe cuſtodiendam more Caſtrorum contra irrumpentes hoſtes nihil hoſtile geſſerit, & ne Verbum quidem iniurioſum pro tantis receptis iniurijs eis rependerit, Verè Dominicus hoc eſt factus ad exemplum Domini, qui cum pateretur non comminabatur: Hinc diffuſa Sanctitatis fama tum Cænobij

Hiſtoria S. Atthon. S. Antonini, & Andreæ Ianuenſ. Auctographũ Antiquum in Archiuio S. Griſogoni Romæ.

tum

tum Cænobiarchæ, Bernardus Vberti tunc iunior in Sæculo exarſit in amorem erga Vallumbroſanum Inſtitutum, & alacri animo ſtatuens illud amplecti, hac de cauſa acceſſit ad eundem Abbatem Dominicum, vt eo patrocinante mereretur admitti, hæc enim habentur in quadam vita Sancti Bernardi Vberti deſcripta in antiquiſſimo Auctographo Romæ exiſtente apud Archiuium Sancti Griſogoni. *Sancto Ioanne Gualberto vitæ munere probè functo Abbas Dominicus morum integritate, ac vitæ puritate, & Sanctimonia illuſtris proximè ſucceſſerat, quem cùm Bernardus adijſſet ad eius pedes continuò prouolutus, ſui ad eum aduentus rationem aperuit, Re cognita cæpit Abbas Bernardum adhortari, eumque ab Inſtituto deterrere, aſperam nimirum & perduram vitam eſſe illius Ordinis Monachorum, atque prorſus eiuſmodi, quam vir ætate floridus & delicijs aſſuetus ferre nullo modo poſſet. Itaque longè conſultius foret ſi mutaret conſilium. Ad hæc tamen Sanctus Bernardus, nec à ſententia vnquam, neque indè ſe diſceſſurum reſpondit, donec in eiuſmodi Religioſorum Ordinem cooptaretur. Admiratus Abbas Dominicus Iuuenilis animi ardorem, conſtantemque Adoleſcentis Deo prorſus addicti ſpi-*

ritum

ritum honestæ illius voluntati morem gessit. Cumque illum iam intra Claustra admisisset Monachi de raro inconcussæ fidei Exemplari obstupefacti, summa persusi lætitia collachrymarunt Describuntur deindè lachrymæ Genitricis, & Sororis ægrè ferentium ex alia parte videre se suamque Domum orbatas carissimo filio, & dilectissimo respectiuè Germano, & iterum in multis laudatur Constantia Sancti Adolescentis, qui non respiciens ad Carnem, & Sanguinem firmiter adhęsit Deo suo in disciplina, quam appręhenderat, quę omnia breuitatis causa hic tantùm compendiosè innuere duxi, cùm Beatus Dominicus iam reuocet me de Consanguineorum Sancti Bernardi luctu, & fletu ad Lętitiam & gaudium, quo ipse fruitur in Cęlis, & quidem non sine quodam Martyrij merito, quod sustituit ab immanitate debaccantium Simoniacorum, nam licet gladius persequtoris eum non abstulerit, Martyrij tamen meritum non amisit, licet enim in ijs cruciatibus non sitmortuus, id tribuendum est Sancto Patri Ioanni Gualberto, qui de Valle Vmbrosa ad Monasterium Sancti Salui quantocius manè accurrens, & Abbatem Dominicum,

&

& Monachos omnes ſauciatos miraculosè ſanauit, & hoc fuit vnum de præcipuis Miraculis, quę narrantur in Vita eiuſdem Sanctiſſimi Inſtitutoris, & fuſiùs habetur hęc Hiſtoria apud Eudoxium Locatellum ſępiùs in hoc opere citatum; & indicatur in ipſo Breuiario ad Lectiones eius Feſtiuitatis die 12. Iulij, in quibus hæc pręcisè Verba Leguntur: *Vt eum ſimul, eiuſque Socios Aduerſarij, Simoniaci quippè, perderent, noctu Sancti Saluij Cęnobium repentè aggreſſi Incenſo Templo, & dirutis ædibus, Monachos omnes multis vulneribus confoſſos reliquerunt, quos tamen vir Dei vnico Crucis Signo protinus ſanauit.*

Eudox. Locatell. lib. 1. Breuiarium Romanum ad diem 12. Iulij.

E. Elí-

E

I.

ELimandus fuit vnus ex Antiquis primis Patribus Vallisumbrosæ Discipulus Sancti Ioannis Gualberti Abbatis, quem in Catalogo Discipulorum eius recenset Abbas Didacus de Franchis in sua historia. & subindè asserit, eum fuisse electum Episcopum Florentinum anno 1070. citans in Margine Arborem Vallumbrosanam Ascanij Tamburini, & Archiuium Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ. Clarius idipsum affirmat libro secundo eiusdem historiæ his verbis lingua Meterna. *Furono col calore di quella Santa vittoria ottenuta contro à Simoniaci prouiste all'ora più Chiese d'Italia del Collegio Vallombrosano, e si troua, che doppo l'economica amministrazione del Vescouo Ridolfo, il quale ad instanza dell' Abbate San Giouanni fù dal Papa mandato à Milano, acciochè doppo il Martirio del Beato Arialdo aiutasse quella Chiesa oppressa dal falso Arciuescouo Guido, fù posto per Vescouo Fiorentino il Monaco Elimando Discepolo dell' istesso Santo Abbate, al qual Monaco succedette l' Anno* 1071. *il Vescouo*

Didacus de Franchis in Historia S. Io. Gualberti lib. 11. pag. 483. & lib 5 pag. 117. Archiuium Vallisumbrosę

Rinieri. Parum enim vixit in Epiſcopatu Elimandus,& parum regnauit in ea Sede,Candidatus iam fælicioris Regni nempè Cæleſtis.

II.

Aemilius Acerbi Ciuis Bergomenſis cognomento quidem Acerbus, ſed moribus pro Religione Maturus, etiam ab ipſa ineunte ætate, induit habitum Vallumbroſanum propè finem præteriti ſęculi milleſimi ſexcenteſimi. In ſcientijs adeò profecit pręſertim in Dialectica,Philoſophia, ac ſacra Theologia, vt in ſingulare ornamētum eidem Congregationi datus eſſe videretur. Duos cōſcripſit Tomos ad materias philoſophicas ſpectantes,in quibus multùm elucet excellens ingenium Auctoris, vt ex eius operibus.

Archiuium Ripulen.& S. Sepulchri de Aſtino Bergomi.

III.

Epiphanius Giorgi natione Ethruſcus ad ſcientias natus in ijs addiſcendis primùm, deindè in ijs edocendis Primaria Religionis Lycea adire promeruit Magiſterium, quippè Sanctæ Praxedis de Vrbe, & Paſſianenſe ad multos annos ſumma cum laude ſuſtinuit, donec ad Abbatiale munus obeundum promotus, vt erat Diſciplinæ Regularis in primis tenax eam ſubiectis ſibi Religioſis, non minus Verbo, quam

exemplo abſeruandam aſſiduè propoſuit: Multa ſucceſſiuè gubernauit Monaſteria, inter quæ ipſum Archicænobium Valliſumbroſæ. Viſitator Generalis, & Definitor Generalis electus, omnes gradus pari ſemper merito Laudis obiuit: Quare Innocentius XI. Pontifex Maximus permotus fama præſtantis Virtutis eius, etiam per Magnum Ethruriæ Ducem Coſmum Tertium ſibi conteſtatæ Pontificio Diplomate Generalem Ordinis renunciauit de Menſe Aprilis 1683. At dum iuxta mentē Sanctiſsimi Præfati Pōtificis Monaſticæ inſtaurandæ diſciplinæ ſedulo incūbit, & laborat, ex Morbo Hydropiſis correptus, & breui oppreſſus, infra ſex Menſes à Generalatus munere ſuſcepto ætatis ſuæ anno 66. de hoc meritorio labore ad præmium, & Requiem æternam Vocatus eſt.

Archiuium S. Bartholomęi de Ripulis. Lib. Memoriarum Valliſ-Vmbroſæ, Sancti Michaelis de Paſſiniano, Sanctæ Praxedis, & Ariciæ.

IV.

Beatus Ericius, ſiue Erizzo Abbas, & Diſcipulus Sancti Ioannis Gualberti prior fuit tempore cæteris alijs in eo ſapientiſſimo Diſcipulatu, in quo quantum reliquos antecelleret circa obſeruantiam Sacri inſtituti, hinc aduertas, quod à Sanctiſſimo Inſtitutore in ſuum Vicarium, hoc eſt ad officium Decanatus fuerit electus, & conſequenter

quenter alijs omnibus præpoſitus, Quam laborioſiſſimam Præpoſituram ſupra quadraginta annos indefeſſus exercuit adeò rigidus cultor illius Sacræ Solitudinis vt intra illud annorum ſpatium numquam ad prædia Monaſterij deſcenderit ad rigorem illum ne pro vnico quidem die parumper relaxandum. Defuncto Beato Ruſtico tertio Generali poſt Sanctum Ioannem Gualbertum ipſe Beatus Ericius conſtituitur ab Electoribus quartus Generalis Ordinis, & ad Biennium totam Congregationem Sanctiſſimè Gubernauit, etenim ætate grauem, & laboribus confectum non potuit diutius Religio in ſuum habere Patrem & Rectorem. Sed hæc priuata in obitu tanti Rectoris de Sapientiſſimo eius Regimine in terris gauiſa eſt de validiſſimo eius patrocinio adepto poſt obitum ipſius in cælis, ibi enim Interceſſorem habuit apud Deum omnipotentem, ex quo B. Erizo ad Cæleſtia Regna peruenit, nempè à die 9. Februarij 1098. quando obijt vſq; ad tempus præſens, & in futurum habebit vſque ad conſummationem Sæculi. Pro tali die annunciatur eius feſtum in Martyrologio Benedictino ſic *In Monaſterio Vallisumbroſæ Beati Ericij Abbatis Diſcipuli Sancti*

Bolland. to. 11. cap. 276.
Ferrar. in ſuo Martyrologio pag. 70.
Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 45. & alib. tom 1.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 4.
Eudox Locatell. lib. 2. cap 4 pag. 191.
Didacus de Frãchis in Hiſtoria S. Ioan. Gualberti pluribus in locis.

Eti Ioannis Gualberti: Et de ipso mentionem faciunt Auctores quamplurimi.

V.

Vita S. Io. Gualberti ab eo edita in lucem anno 1582.

Eudoxius Locatellus Monachus Vallumbrosanus, & Abbatialibus Infulis ornatus, sed longè melius ab ornamentis virtutum conspicuus claruit sæculo proximè præterito, & ad posteros transmisit Nomen Scriptoris non vulgaris, licet vulgari lingua hoc est Materna scripserit Vitam Sancti Patris Ioannis Gualberti, & annexas memorias Discipulorum, & filiorum eius vsque ad annum 1582. vt apparet in Epistola dedicatoria Operis, quod ipse dicauit Reuerendissimo Abbati Saluatori à S. Salui tunc temporis dignissimo Generali Ordinis. Plurimos tamen insignes Viros ibi Auctor prę-terijt, qui vel in linea Sanctitatis, vel Doctrinæ, vel Dignitatis, vt in Episcopali, Archiepiscopali, Cardinalitia, & Pontificia Papali dignitate vsque ad illud tempus effloruerunt, & quas refert historias, ea narrat simplicitate Sermonis, vt & Calamum ad scribendum decerpisse videatur non nisi ab alis simplicissimæ Columbæ, à qua & candorem etiam didicisse in scribendo candidè quid ipse sentiret.

Archiuium Ripalense. Memoriæ passim Religionis.

Federi-

F

I.

Federicus Petruccius Reipublicæ Senensis Clarus Patricius ex Abbate Sancti Michaelis de Senis, quod olim erat Monasterium Congregationis Vallisumbrosæ Electus fuit Episcopus Hipponensis circa finem quinti Sæculi Religionis, sic attestante in suis Manuscriptis, & in sua Arbore Vallumbrosana Ascanio Tamburino, & pro integro eius Elogio dixisse sufficiat, eam dignitatem Episcopalem non tàm obtinuisse, quàm meruisse.

Arbor Vallumbrosana Ascan. Tamburini.

II.

Federicus de Federicis Florentiæ Nobili genere ortus optimæ indolis Adolescens, & venustate decorus ab adolescientia ipsa Vallumbrosanum suscepit habitum, quo inditus Monasticis imbuendus Disciplinis traditur Magistro Nouitiorum in Tyrocinio, deindè in Professorio destinatur ad humaniores litteras addiscendas; Sed postea facultatibus speculatiuis addictus quantùm in jis profecerit vix est, vt enarrari queat, Eius in studijs scientiarum admirabiles progressus,

Lib. Memoriarum Cænobij Vallisumbrosæ, S. Michaelis de Passiniano S. Praxedis de Vrbe S Bartholomæi de Ripulis.

greſſus, vel ex hoc vno argumento teſtatos accipias, quòd cùm Romæ in Collegio Sanctæ Praxedis operam nauaret Sacræ Theologiæ, & eo tempore vaceſſet Cathedra eiuſdem Collegij per Aſſumptionem Magiſtri ſui Sapientiſſimi D. Rodulphi de Foraſaxis ad primam Cathedram Religionis, hoc eſt ad illam Paſſinianenſis Abbatiæ, Federicus datus eſt Magiſter ipſiſmet Condiſcipulis ſuis Viris cæteroqui magni Ingenij & in litteraria Paleſtra valdè verſatis; Magiſterio poſtmodum Sanctæ Praxedis per aliquot annos laudabiliter functus tranſlatus eſt ipſe quoque ad Magiſterium Paſſinianenſe vbi aliquandiu eſt commoratus in erudienda Iuuentute illius prænobilis Gymnaſij decoratus iam doctorali Laurea inter laureatos Doctores Vniuerſitatis Florentinæ donec lectus eſt Abbas Sancti Bartholomæi de Ripulis, & mox Sanctæ Praxedis. Reuerſus ad Vrbem Orbis Theatrum huc acceſſit potiùs facturus, quàm viſurus ſpectacula, illum enim audierunt in publicis Concluſionibus diſputantem Sapientiæ Romanæ Candidati, Proceres Nobiliſſimi, digniſſimi Præſules, & Cardinales Ampliſſimi, qui pluries etiam Audie-

runt

runt ſapientiſſimè referentem, & Votantem in Sacra Indicis Congregatione, cuius erat Conſultor Theologus, & quidem ea attentione, & ſilentio, vt benè ex hoc noſceretur quanti facerent huiuſmodi Conſultorem, & eius votum Conſultiuum, Profectò fuerunt in ea ſententia Purpurati Patres, vt in alijs etiam Congregationibus cooptaretur, & præcipuè in illa Sacrorum Rituum, & Sacræ Inquiſitionis. At dum parabantur ei tales honores in terris, de terris vocauit eum Dominus, vt melius honoraretur in Cælis, obijt enim in Monaſterio ſuo Sanctæ Praxedis vix primo Completo ſui Abbatiatus anno ex acuta febri decimo quarto infirmitatis à decubitus die Menſe Iulij 1672. florenti cæteroqui ætate, hoc eſt ætatis ſuæ anno 36. Vndè per acerba nimis Morte ſublatus eſſe videbatur, ſed fortaſſe raptus eſt, ne Malitia mutaret intellectum eius, cùm alioqui conſummatus in breui expleuerit tempora multa: Corpus eius humatum fuit in Sacello Sancti Ioannis Gualberti propè oſſa quondam Abbatis Serſalis. Alter huius familiæ de Federicis, nomine Paulus, & ipſe vir dignus floruit circa medium ſexti ſæculi

culi

culi ſupra milleſimum Teſte Locatello, & renunciatus fuit Abbas Valliſumbroſæ, quando Ioannis Maria de Canigianis tranſijt ad Infulas Epiſcopales.

III.

Archiuium Ripulenſe. Lib. Memoriarum Sanctæ Praxedis de Vrbe præcipuè ſignat. littera D. pag. 40.

Flauius Gallettus Romanus Nobili de Stirpe Oriundus, quippèqui cum Illuſtriſſima, & Nobiliſſima familia de Bubalis, & cum illa de Pamphilijs affinitatem haberet, ſtudiorum emenſo curriculo, & humanioribus litteris ex propenſione animi intenſius applicatus, in ijs præſertim excelluit, & Clarus Rethor euaſit, Concionator non mediocris famæ Concionatus eſt etiam aliquando per Quadrageſimam in Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris dicta ad Præſæpe. Parochus Sanctæ Praxedis electus Curam Animarum per plures annos adminiſtrauit, Indè in Pontificatu Innocentij Decimi Abbas titularis primùm creatus eſt à Superioribus ſuis, Mox ad maiora vocatus renunciatus eſt Epiſcopus Anglonę ab eodem Innocentio de Menſe Iunij anno ſalutis 1646. Ad Eccleſiam ſuam profectus cùm per aliquod tempus eidem præfuiſſet ab ipſo Pontifice Romam accitus, Romæ non multo poſt moritur ex infirmitate graui,

quę

quę ad mortem vſque illum adegit, vt ferunt Memorię Religionis.

IV.

Venerabilis Florentius Abbas, & Quintus Generalis Ordinis Floruit ſub finem primi Sæculi Religionis Vallumbroſanæ, ideò communibus Patrum ſuffragijs ad Generalatum promotus, quia cum Sancti Ioannis Gualberti deceſſiſſent immediati Diſcipuli, & vnicus ſuperſtes Beatus Theuzo in ætate iam longęua conſtitutus ad tale ſubeundum onus imparem ſeſe diceret, ipſe Florentius viſus eſt præ cæteris defuncto Beato Ericio, ſiue Erizzone hęreditaſſe ſpiritum eius, & aliorum diſcipulorum Sanctiſſimi Inſtitutoris, quo ſpiritu ipſe ductus, ducere poſſet & alios per viam Euangelicæ perfectionis, iuxta normam à Primis Patribus acceptam, & primęuum conſeruare rigorem Diſciplinæ intra Clauſtra Vallumbroſana, quemadmodum eo vſque erat in praxi; Nec ſpes electores fefellit, nam regimen eius multùm contulit ad incrementum, nedum ad conſeruationem Regularis Obſeruantiæ, quam didicerat à maioribus. Vndè meritò eum celebrant Locatellus, Hieronymus Radiolenſis, Bernardus del Sera, Arnold: Vuion in

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 53.

Bernard del Sera in ſuo Compendio pag. 5.

Eudox. Lucatell. lib. 2 cap. 7. pag. 195.

Archiuium Vallis Vmbroſæ.

in ſuis reſpectiuè libris. Præſertim enituit Florentius in virtute abſtinentiæ, cùm ferè quotidiè obſeruaret ieiunium, & quidem eodem rigore, & fęlicitate ſenex decrepitus, ac quando fuerat in ætate magis florida robuſtus, & iunior, ſic ieiuna membra deferens dapes æternas obtinet, quibus paſcitur in Cęleſti Gloria, ex quo ad illam cœnam inuitatus fuit ſine fine duraturam. Dies obitus eius fuit decima Decembris anni 1095. vt ferunt Auctores Religionis.

V.

Venerabilis Franciſcus ex Nobiliſſima Altouitorum Familia (vtor proprijs verbis Eruditiſſimi Summi Pontificis Pij II.) Vallumbroſanæ Religionis Magnum Decus, & Ornamentum, Cum eſſet Abbas inſignis admodum Abbatiæ Sancti Michaelis de Paſſiniano, quam in omni prudentia, & ſanctitate diu gubernauerat communi omnium conſenſu, & plenis ſuffragijs Electus eſt Generalis totius Congregationis Vallumbroſanæ circa annum Domini 1450. quando videlicet vacauit Generalitia Sedes per aſſumptionem Generalis Placidi de Pauanellis ad ſedem Epiſcopalem Biblæ, & Torcelli, de quo ſermo erit infra littera P. Fuit

Pius Papa II. in Commentarijs ſuis.

autem

autem Abbas Altouitus natura affabilis, & suauis, sed eam affabilitatem admixta quædam temperabat seueritas, ac Maiestas, quæ decet optimum animarum Ducem, & Pastorem, Doctus, Pius, & religiosis moribus apprimè instructus, ac prudentiæ laude valdè Clarus, Vndè his dotibus fæliciter potuit Regnare etiam inter perturbationum procellas identidem excitatas à Monachis Sansaluinis, quos non minus robore virtutis, quam suauitate sermonis pacauit, & ad debitam sibi præstandam Obedientiam fortiter suauiterque adegit. In Restaurandis, Amplificandis, & Ornandis Monasteriorum ędificijs totus fuit, & præclara Magnificentiæ ipsius extant passim documenta in Gentilitijs Insignibus nobilissimæ Altouitorum Familiæ, vel ad Portas, vel ad Capitella, vel alibi sculptis præcipuè in Archicænobio Vallisumbrosę, cui potissimùm ampliando, & magnificentius extruendo animum adiecerat; Ad annos 29. in supremo Generalatus Culmine veluti in specula vigilauit ipse ad curam Religionis sibi commissæ, nec vnquàm cessauit ab accuratissima Vigilantia nisi quando Clausit oculos, vt obdormiret in Domino: Hæc autem

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 56.

Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 17.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 67. pag. 279.

Memoriæ passim Religionis.

beata eius dormitio ſequta eſt anno 1479. die 22. Aprilis, & quieſcit adhuc inter alios Venerabiles Patres quieſcentes in eodem Archicænobio Vallisumbroſæ, cuius tamen honorifica Fabrica, & ſtructura ex Beneficenti Manu Abbatis D. Franciſci de Altouitis ſpecialiter erecta illi peculiari pariter modo ſtare videtur pro integro Mauſolæo.

VI.

Venerabilis Franciſcus Raſius Aretij in Tuſcia natus D. Guiglielmi Raſij percelebris Generalis Vallumbroſani Digniſſimus Nepos, Patrui ſui imitatus eſt ad miraculum mores ſuauiſſimos, & præcellentes Virtutes, ita vt nihil deſideraretur in imitatore quod fuerat in Exemplari, Quinimmo, & Exemplari factus ipſe perfectior Virtutes morales ac Theologales ad gradum vſque hæroicum excoluit, Omnigena deindè tùm ſacra tùm profana litterarum eruditione ſibi comparata, Poeſeos nimirum, Artis Oratoriæ, Hiſtoricæ, Coſmographiæ, Aſtronomiæ, Dialecticæ, Philoſophiæ, Theologiæ, tùm poſitiuæ, tùm Miſticæ, tùm Scholaſticæ Arca Scientiarum iure meritò palam ab omnibus appellabatur,

Archiuium Ripulenſ. Memoriæ Vallis Vmbroſæ, Paſſiniani, S. Praxedis, & Monaſt. Sanctiſſimæ Trinitatis Florentię.

tur,

tur, & nostri sæculi ingenium planè prodigiosum; Cumulatus à Deo donis supernaturalibus, & gratijs, quæ gratis datæ dicuntur in Discretione spirituum præcipuè enituit, Neque caruisse dicitur dono Prophetiæ, Vndè non defuerunt ex omni conditione promiscui sexus, qui per litteras eum consulerent, sim minus possent oretenus ipsum alloqui, responsa eius velut oracula expectantes, & certè Litteræ ab eo conscriptæ sapiebant Stylum Diui Pauli Apostoli, adeut ei scribenti Apostolus ipse multa dictasse videatur. Decumbente circa finem anni Iubilei 1675. Eminentissimo Cardinali Leopoldo Medices ex Serenissimis Ethruriæ Principibus, & quidem Infirmitate graui, quæ fuit ei vltima, varij probatæ virtutis Religiosi ex diuersis Religionibus sunt assumpti, qui moribundo Principi astarent, & inter istos de Religione Vallumbrosana Noster Franciscus Rasius. Congregauerunt alij diuitias sapientiæ suæ, vt assumpto muneri copiosè responderent, sed Franciscus Noster supergressus est vniuersos, diffusa enim erat in labijs eius quædam singularis gratia, qua sicuti in omni concione, publicis sermonibus, priuatis, familiaribusq;

collo-

colloquijs præ cæteris erat præſtantior, ſic in dicendo tunc ad ægrotantem Principem monita ſalutis præſtitit antè alios ſapientiſſimos, ac Venerabiles Patres ad eumdem finem in Aulam vocatos, propter quam gratiam, & ipſe gratiam inuenit ſupra reliquos ante oculos languentis Purpurati; Leopoldus enim quoad loqui potuit Franciſcum Raſium ſibi adeſſe ſpecialiter popoſcit, illi ſpecialitèr dicenti reſpondebat, & cum illo dulcius effundebat ad Dominum iaculatoria ſua, & cum propè agoniam non poſſet amplius loqui benignos erga Franciſcum vertens obtutus apertè monſtrauit, quam dulcia eſſent auribus ſuis eloquia eius, & quàm gratam haberet amabilem præſentiam Franciſci, in cuius manibus tandem ſanctiſſimè expirauit, reſonante interim tota Aula Medicea, imò tota Ciuitate in laudem Franciſci Raſij, qui tam laudabiliter ſuprà omnes alios illos Sacerdotes expleuerit illud pietatis officium, dignus propterea conclamatus, qui diu viueret ſanus ad ſolamen aliorum deinceps infirmorum: At Franciſcus non multos poſt menſes ex diutinis aſſumptis laboribus ad conſolationem Animarum & ipſe cæpit infirmari; Incidit-

que

que in infirmitatem illam, quam Diabetem Physici vocant cum immoderato viscerum ardore coniunctam, ad quem temperandum aquam puram de cętero habuit pro potu, & pro cibo non nisi herbas, cucumeres, citrones, ordeum coctum, & alia huiusmodi insipida esculenta sine vllo prorsùs extrinseco condimento, & nihilominus ipse quasi nutrietur in delicijs hilaritate vultus, & amęnitate sermonis accedentes ad se continuò spiritualiter exhilarabat assequtus in Via spirituali illam veram spiritus libertatem, quam viri spirituales assequi contendunt, & pauci admodum assequntur: Norunt hoc Primarij Ciues, & Nobiles Florentini præcipuè Illustrissimus Dominus Rainerius Bonaccursius, & eius Germanus Frater Eques Melitinensis: Illustrissimus Dominus Carolus Augustinus Fabbronus Aulæ Pontificiæ nunc dignissimus Prælatus, & Canonicus Venerabilis Basilicæ Sanctæ Mariæ Maioris tunc temporis degens Florentiæ in domo eorundem fratrum de Bonaccursijs suorum affinium, qui cum Alexandro Præsbytero de Mainardis, & D. Francisco de Colzijs Plebano S. Nicolai frequentius adibant, & ferè quodie

tidiè Cubiculum Francisci Rasij in Monasterio Sanctissimæ Trinitatis numquam satiati, imò de die in diem semper magis famelici de dulci nectare amenissimæ simul, & Sanctissimæ sermocinationis eius. Quanta autem fuerit frequentia aliorum ex omni Conditione, Sæcularium, Vallumbrosanorum Monachorum, Abbatum, ac Religiosorum Patrum ex alijs etiam Ordinibus ad Franciscum Rasium accedentium petendi causa Consilij, vix est vt credas; Et tamen cum in tanto esset honore apud omnes, & omnes tam altè de ipso sentirent,& alta sapere eum prædicarent, ipse tam demissè sensit de se, vt Iumentis insipientibus sese compararet, solitus facetè dicere, occasione desumpta ab herbis, quas comedebat, & aqua pura, quam bibebat: Videte Fratres mei Belua sum, & more Beluarum viuo, & deindè versus ad Dominum in spiritu veræ humilitatis, aiebat, vt iumentum factus sum apud te, aliquando etiam minus quàm Iumentum, & Belluam, Vilissimum Terrę purgamẽtum sese dicebat. Religiosæ Paupertatis Rigidus Cultor ab omni eo, quod supra necessariũ Vestitum, ac Victum esset tanquã à superfluo abhorruit, Et verè pauper spiritu, omni prorsus

etiam

etiam intrinſeco cordis affectu erga tranſitoria ſeſe ſpoliauit vnicè contentus Deo ſuo, Vnde frequenter in eius ore illud effatum, *Deus meus, & omnia*: Sed vt redeamus ad ſeriem infirmitatis, quam ſupra biennium inuicta patientia ſuſtinuit, debilitatis tandem à tam longæuo morbo Viribus, & amplius infirmatis ex Ciborum vſu deſuper deſcripto, cùm acceſſiſſet de Menſe Nouembris anni 1678. acuta febris, & putrida, hæc breui de tendente ad interitum Corpore animam tranſmiſit ad ſuperos, Vt in Cælo illa grandis anima magnificaret Deum per acceptam in præmium gloriam, ſicut magnificauerat hic per acceptã gratiam, & ſui cooperationem in tot operibus meritorijs eiuſdẽ æternæ Vitæ: Non immeritò igitur morti Proximus cecinit iſte Cygnus Cæleſtis, & canens Pſalmos, & Hymnos, & Cantica cùm ad initium Cantici B. M. Virginis perueniſſet, & ſæpiùs caneret: *Magnificat anima mea Dominum*; Ad ea Verba placidiſſimè animam ipſam exhalauit: Corpus in Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis decenter humatum fuit in loco particulari, ſic poſcente pia erga Raſium veneratione Ciuium Florentinorum, apud quos Raſius ipſe ſicuti vixit, ita deceſſit cum fama Sanctitatis.

G

I.

Fragmenta Historica P. Ascan. Tamburini. Memoriarum Sanctissimæ Trinitatis, & Vallisumbrosæ.

GAspar Pratensis originem ducens à conspicua satis familia de Bonamicis Monachus Vallumbrosanus, & Abbas Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ, Vir fuit magni ingenij, & summæ auctoritatis apud Florentinos, ipsi enim tanti Gasparem Abbatem æstimauerunt, vt circa negotia publica, nihil ipso inconsulto auderent decernere, quapropter à Consiliis Reipublicæ Florentinæ, siue Consiliarius Publicus illius Magistratus amplissimi meritò fuit dictus. Floruit quarto sæculo Religionis, vt apparet ex memoriis supradictæ Abbatiæ.

II.

Historia S. Ioan Gualberti lib 5. pag. 116. Memoriæ Vallisumbrosæ.

B. Goffredus, vnus ex Discipulis S. Ioannis Gualberti Abbatis, vt videre est in Catalogo Discipulorum eius apud Historiam Didaci de Franchis, fuit ille Monachus, qui ad eundem Sanctum Ioannem Gualbertum ex Monasterio Sancti Miniatis discedentem, ad Camaldulensem Eremum euntem, & illinc versus Vmbrosam Vallem peregrinantem, ibique tandem pedes figen.

gen.

gentem, & commorantem ſemper Socium ſeſe adiunxit: Vnde hæc ſit eius integra Panegeris, quod fuerit indiuiduus comes peregrinationis Sacræ aſſumptæ à Sanctiſſimo Noſtro Patre Inſtitutore, & quidem ex eodem prorſus motiuo reformationis inſtituendæ, ac ſtrictioris Vitæ Monaſticæ profitendæ iuxta rigorem Regulæ, in quo vſque ad vltimum ſpiritum perſeuerans Sanctitatis Laureolam promeruit inter alios Beatos Ordinis aſcriptus.

III.

Sanctus Gregorius Papa VII. percelebris, & Magnus Cardinalis Hildebrandus anteà dictus nulli Romanorum Pontificum neque ipſi Gregorio Magno in animi dotibus, & præſtantia Virtutis viſus eſt eſſe ſecundus, Vnde vt Religionem Valliſumbroſæ ſupra multos alios viros illuſtres qui continentur in hoc catalogo illuſtraſſe dicatur, probaſſe ſufficiat, eum fuiſſe Vallumbroſanum: Hoc autem probatur in primis ex Archiuio Sancti Bartholomæi de Ripulis, vbi Lingua materna ſeu vulgari hæc habetur memoria. *Al tempo di San Giouanni Gualberto, quando riſplendeua da per tutto la di lui ſama, & era chiamato da Principi e Popoli, che riformaſſe*

Archiuium Ripulen. Cæſar Mainardes. Valerianus Salainus, Aſcanius Tambur. Carolus Tappia, Monumenta Religionis Decreta Sacræ Congregationis Rituum de anno 1673.

con i suoi Monaci le Badie, che andauano in declinazione, quelli ancora di Soana mandarono per il Santo, e per i Monaci suoi, acciò riformassero il Conuento di San Benedetto di Caluello intorno à gl' anni del Signore 1032. e di questa Badia fù Monaco, e poi Abbate Gregorio VII. che seguì intorno all' anno 1040. Coincidit assertum in hac re D. Didaci de Franchis, qui recensens in sua Historia Conuentus, & Monasteria fundata, & reformata à Sancto Patre Ioanne Gualberto, scribit, eum vocatum fuisse ab Hildebrando, & Desiderio Comite Soanensi, ad visitandam, & reformandam Abbatiam Sancti Benedicti de Soana, quod & personaliter præstitum fuisse ab eodem Sanctissimo Patre.

Cæsar Mainardes eruditissimus Abbas persimilem eruditionẽ decerpsit ex ipso Archiuio Soanensi, in quo se vidisse testatur antiquas paginas probantes Gregorium VII. fuisse Monachum, & exindè Abbatem Sancti Benedicti de Caluello iuxta Soanam, & Monasterium reformationi Vallumbrosanæ subiecisse, & posteà subiungit, quòd ille cum Gregorio Papa VI. in Galliam profectus Cluniaci statim electus fuerit in Priorem à Sancto Vgone Abbate, & ibidem

dem decem & octo Menses sit commoratus, donec cum Leone IX. in Italiam reuersus vnà cum eodem Pontifice Passinianum diuertit, vt Sanctum Ioannem Gualbertum inuiseret, quod totum, & aliæ affirmant Historiæ; Hinc obiter soluitur illa obiectio deducta ex Verbis cuiusdam Epistolæ, quæ sub nomine Gregorij VII. circumfertur scripta ad Monachos Vallisumbrosæ, in qua loquens idem Gregorius de Sancto Ioanne Gualberto ait: *Quem licet oculis corporeis non viderimus*; Respondetur enim Andreæ Ianuensi citanti illam Epistolam, & alijs auctoribus adhærentibus ipsi, eam verè non fuisse Gregorij VII. sed alterius Pontificis, nempè Victoris III. seu Vrbani II. vt benè notarunt duo Eruditissimi Patres Vallumbrosani ambo ad præsens Magistri Nouitiorum vnus in Cænobio Vallisumbrosæ D. Ioannes Aurelius Casari de Foroliuio, alter Florentiæ in Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Placidus Poltrius Natione Florentinus: Nam aliundè Gregorius VII. vt constat ex Antecedentibus verè vidit oculis corporeis Sanctum Ioannem, & quidem pluries tum in Monasterio Sancti Benedicti de Caluello apud

Soa-

Soanam, tum in Abbatia Sancti Michaelis apud Passinianum.

Eques Carolus Tappia I. C. Neapolitanus inter alia sua opera scripsit particularem librum de causis, & statu Religionum omnium, in quo agens de Congregatione Vallumbrosana, & eam ab origine sua describens affirmat, in ipsa emanasse Gregorium Septimum Pontificem, pluresque Cardinales, & Episcopos.

Valerianus Salainus peritissimus Indagator Antiquitatum in Familia Vallumbrosana enumerans præclaros Viros, & Sanctos eiusdem Familiæ, & Congregationis primo loco posuit Sanctum Gregorium Septimum Pontificem Maximum.

Ascanius Tamburinus Auctor tanti Nominis describit Sanctum Gregorium Septimum inter cæteros Sanctos Congregationis Vallisumbrosæ in sua arbore siue Fago Vallumbrosana: Et Abbas Tyberius Petraccius tanquam Vallumbrosanum transcripsit Gregorium supra dictum in paginis suarum Decadum: Præterea probatur assertum ex alijs antiquissimis monumentis Abbatiarum Ordinis, & peruetustis picturis, nam in Archicænobio Vallisumbrosæ; In illo Sancti

cti Michaelis de Passiniano, in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ, in Refectorio Sanctæ Praxedis de Vrbe adest depictus Sanctus Gregorius Septimus inter alios Sanctos, & Beatos Vallumbrosanos, Ex quibus apertè dignoscitur, eum sub Vallumbrosano Instituto vixisse licet postmodum Prior fuerit Cluniaci in Gallia; Cùm transitus à Vallumbrosanis Italię ad Cluniacenses Galliæ, & à Cluniacensibus Galliæ ad Vallumbrosanos Italię tunc promiscuè fieret, vtpotè qui eandem omninò promiscuè profiterentur viuendi formam, ac Regulam, & id etiam euincitur ex eo, quòd statim ac Hildebrandus Monachus peruenit ad Cluniacum, creatus est ab Hugone Prior illius insignis Monasterij, quem gradum certè Vir Sanctus, & Prudens Nouitio non dedisset, nec ei qui tunc recenter Monasticum recepisset Habitum, & dignam sui probationem non detulisset.

His, & alijs rationibus, & validis fundamentis permota Sacra Rituum Congregatio Referente Eminentissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Bona duo edidit Decreta, quibus apertissimè declarauit Gregorium Septimum fuisse Monachum Vallumbrosanum, in primo emanato sub die 21. Ianuarij

nuarij 1673. approbauit hoc Elogium, prout iacet, apponendum in Martyrologio Romano ad diem 25. Maij *Salerni depoſitio Sancti Gregorij Septimi Ordinis Valliſumbroſæ libertatis Eccleſiaſticæ propugnatoris, & defenſoris Acerrimi.* Altero in Decreto emanato ſub die 4. Martij eiuſdem anni 1673. approbauit lectiones proprias recitandas in Officio ad feſtum eiuſdem Sancti Pontificis, in quibus hæc habentur: *Gregorius huius nominis Septimus anteà Hildebrandus Soanæ in Tuſcia natus ab ipſa infantia ſub protectione S. Petri Romæ educatus eſt, ſed cùm à Sæculo alienus ſoli Deo ſeruire cuperet monaſticam vitam profeſſus Cænobium Sancti Benedicti in Patria extruxit ſub inſtituto Vallumbroſano, quod pridem amplexus fuerat.* Certè non poterat dici clariùs. Migrauit in Cælum Beatus Gregorius Septimus anno Domini 1085. multis in vita, & poſt Mortem miraculis glorioriosus, vt habemus ex lectionibus ſupradictis à Sacra Rituum Congregatione recognitis, & approbatis, ad quas remitto meum Lectorem Cupidum ſciendi ſaltem compendioſiſſimè præclara geſta huius magni Pontificis, quæ quidem fuſiùs videnda erunt apud Annales Eccleſiæ.

Vene-

IV.

Venerabilis Gregorius Bergomas Abbatiæ Aſtinenſis Monachus ex ordine Monachali ad Epiſcopalem ordinem tranſlatus eſt ab Innocentio Papa II. & quidem meritò, nam ſi Monachiſmus via dicitur ad perfectionem, & Epiſcopatus dicitur ſtatus ipſe perfectionis, iam Gregorio noſtro debebatur hic ſtatus cùm illam tranſegiſſet viam, hoc eſt viam Conſiliorum Euangelij, ne dum viam mandatorum Decalogi. Creatus Epiſcopus Bergomenſis Ciuitatis Patriæ ſuæ populum ſibi commiſſum ad eaſdem proportionaliter currendas ſalutis vias hortari non prætermiſit, vnde plurimi eius hortamenta ſectando, & ſimul veſtigia peruenerunt ad vltimum finem, pro quo creatus eſt homo. Interfuit Gregorius Concilio Piſano, vbi firmis obſtrictus eſt Amicitiæ vinculis cum Diuo Bernardo Clareuallenſi Abbate, in cuius gratiam Monachos Ciſtercienſes primus introduxit in Ciuitatem ſuam Bergomenſem. Volumen ſcripſit de veritate Corporis Chriſti, & opus dicauit Vmberto octuageſimo tertio Archiepiſcopo Mediolanenſi, & à defenſione veri hominis in Chriſto Deo contra Hæreticos, factus be-

Abbas Vghell. in Italia Sacra to.4. pag.648.

Vinea Bergomen. part.1. cap.28. part.2. cap 22. Bartholomæus de oſſa par.5. lib.16. cap.47.

nemeritus Myſterij Dominicæ Incarnationis, & vnionis hypoſtaticæ vniri meruit in hac vita per gratiam, & in Cælo per gloriam cum Deo ſuo, ad cuius benignos amplexus tranſiijt die 19. Iunij anno 1144.

V.

Didacus de Franchis in Hiſtoria S. Io. Gualberti lib. 12. pag. 521. Italia Sacra tom. 1. pag. 443.

Venerabilis Gregorius de Biſdominis Abbas Sancti Michaelis de Paſſiniano Romam petijt tempore Cæleſtini Papæ III. vt apud ipſum ageret de Canonizzando Sancto Patre Ioanne Gualberto conſanguineo ſuo. Pontifex autem expertus ea occaſione Gregorij ſolertiam ſimul, & morum probitatem ac doctrinam, ex Inſulis Abbatialibus ad Epiſcopales illum promouit, renunciauitque Epiſcopum Aquini, de quo Abbas Vghellus hæc habet: *Gregorius Florentinus Monachus Ordinis Valliſumbroſæ Abbas, & S. Io: Gualberti proximus affinis à Cæleſtino III. Summo Pontifice Epiſcopus Electus eſt anno 1149. Aquinam Eccleſiam Magna cum laude prudentiæ adminiſtrauit, & eius obitus incidit in 2. diem Februarij.*

VI.

Catalogus Epiſcoporum Bergomenſ.

Guala Natione Bergomas, profeſſione Monachus Valliſumbroſæ ex Monaſterio Sancti Sepulchri de Aſtino, vbi in optima viuebat diſciplina, ad Cathedralem Bergomi

gomi translatus est anno salutis 1171. Suffectus in locum Gherardi Episcopi defuncti, etenim Bartholomæus de Peregrinis in sua Vinea sic ait; *postquem*, scilicet Gherardum superius immediatè citatum, *Electus est alius itidem bonus Vineæ Custos Monachus Astinensis cui nomen Gualæ inditum erat*, qui post decimum octauum annum sui Regiminis obdormiuit in Domino anno Christi 1187. die 3. Octobris. Hæc ex pręcitato auctore.

Vinea Bergomensis par. 1. cap. 31. Archiuium Astinens.

VII.

S. Guala item Ciuis Bergomensis ex familia Romi, seu Roma Discipulus primùm Sancti Dominici Brixiensis Episcopi, deindè in eadem Sede Episcopali successor, cùm Ecclesiam Brixiensem quatuordecim annos Sanctissimè gubernasset abdicauit se Pastorali officio factus humilis Monachus Sancti Sepulchri de Astino, ibique duxit eandem prorsus vitam, ac cæteri Cænobitæ illius Sacri Cænobij, nullum passus vmquam habere priuilegium, vel à choro, vel à mensa communi, vel à ieiunijs, vigilijs, & orationibus præscriptis in Regula, quam ipse secundùm omnem Apicem perfectissimè adimpleuit, vitæ genus in viro illustri, prouectæ ætatis, & in dignitate Episcopa-

Arnoldus Vuion in Martyrolog. suo lib. 3 pg. 289. Eudox. Locatell lib. 2. cap 30. pag. 234. Archiuium S Sepulchri de Astino.

li iam conſtituto, rari profectò exempli, & tanti meriti, vt ſupra meritum eſſet omnium aliorum Patrum, qui ibi ſanctitate florebant in eo inſigni Monaſterio vera tunc Sanctorum Colonia; De hac Chriſti Confeſſor B. Gaula migrauit ad Conturbernium Beatorum in cælis anno 1244. die 3. Decembris, & pro tali die annunciatur eius feſtiuitas in Martyrologio Benedictino his verbis. *Tertio nonas Decembris in Monaſterio Sancti Sepulchri de Aſtino Ordinis Vallisumbroſæ S. Gualæ quondam Brixienſis Epiſcopi, & poſteà eius Cænobij humilis Monachi, & Confeſſoris.*

VIII.

Venerabilis Gualdus Generalis nonus Vallisumbroſæ ſucceſſit in eo officio ad Sanctum Atthonem Piſtorienſem Epiſcopum, à quo ſicut accepit habenas Gubernij, ſic didicit Regulas rectiſſimè gubernandi. Tenax in primis Religioſæ Paupertatis numquam ceſſauit ab inuectiuis contra Monachos, ſi quos reperiſſet, quod abſit, reos proprietatis contra illos fulminans cenſuras, & alias pęnas grauiſſimas decernens, nam in Capitulo præcipuè conuocato in Abbatia Sancti Saluij circa annum 1147. aſſiſtente etiam ipſo Beato Atthone

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 53.
Bernard. del Sera in Compendio ſuo pag. 7.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 17. pag. 214.
Archiuium Ripulenſ. & Vallisumbroſæ.

thone Episcopo statuit, vt huiusmodi Monachi proprietarij priuarentur in vita Sacramentorum participatione, & post mortem Ecclesiastica sepultura, & alijs suffragijs consuetis cæteroqui fieri pro animabus defunctorum: Constitutiones etiam edidit varias circa Silentium Claustrale, & circa ieiunia Regularia, vetuitque omnino vsum carnium. Prohibuit alloqui mulieres exceptis matre, & sororibus, aliaq; sanciuit sanctissima, & vtilissima Decreta adiectis respectiuè punitionis gradibus in transgressores Decretorum suorum, ex quibus euidenter apparet quantus fuerit Zelus Domus Dei in pectore Generalis Gualdi. Intentus præterea Gualdus ad meliorandam Religionem etiam in temporalibus duo acquisiuit Religioni Monasteria in Insula Sardiniæ, & Ambo sub inuocatione Sancti Michaelis Archangeli. Primum quidem dictum est de Pleiano, alterum de Saluenero, quæ dederunt occasionem deindè Vallumbrosanis acquirendi & alias Abbatias, & Eremitoria in eadem Insula; At hæc ab incursione Barbarorum tandem fuerunt destructa, vt videbimus littera M. in Elogio Mauri Monachi Vallumbrosani concionatoris Euangelici, qui di-

ctus

ctus est Apostolus Sardiniæ; sed vt redeamus ad Gualdum ipse sedulus amplius ad incrementum Religionis suæ tam ab Innocentio II. quàm à Cælestino II. & ab Eugenio III. impetrauit Priuilegia multa, & cùm vltimo loco nominati Pontificis Eugenij esset Assecla fidelis, quando ipse exulauit ab Vrbe vitandi causa Romanorum tumultus restituere tentantium Romę antiquum Laicale dominium Senatorum, & Magistratus, non paucos passus est cum Exule Pontifice labores, & erumnas, è quibus quemadmodum auxit sibi meritum in Ecclesia Militanti, sic & pręmium in Triumphanti, ad quam translatus est anno 1153. die 9. Augusti.

IX.

Guarentius Abbas Vallumbrosanus Nobilissimo Genere ortus, hoc est ab Illustribus in tota Italia, & Clarissimis Comitibus Æmilijs de Verona ad claritatem Sanguinis benè coniunxit splendorem virtutis, & inprimis resplenduit à virtute Iustitiæ. Quæ mutuato nomine à lucidissimis astris cùm Astrea etiam dicatur, potissimùm sua luce clarificat Viros ad præposituras destinatos, & ad gubernia. *Iustè gubernauit Abbatiam*

Archiuium S. Sepulchri de Astino, & S. Sepulchri de Papia.
Vinea Bergomens. par. 2. cap. 28.

tiam

tiam Sancti Sepulchri de Astino Guarentius Abbas. Hæc sunt præcisa verba Bartholomæi de Peregrinis in sua Vinea, si igitur gubernauit iustè, ecce in ipso laus Iustitiæ, ecce ab hac laude ipsi decus, & gloria: A gubernio Sancti Sepulchri de Astino missus dicitur ad gubernium Monasterij item Sancti Sepulchri de Papia, quod posteà Sancti Lanfranci fuit dictum, & benè de Sepulchro in Sepulchrum Domini transiens semper tamen extitit in Sepulchro Christi, qui cum Christo secundùm Apostoli sententiam consepultus erat in morte, in illa mystica morte videlicet, qua Serui Dei moriuntur Mundo, & omnibus affectibus huius transitoriæ Vitæ: Mors autem eius naturalis sequuta est Kalendis Maij anno 1213. in supradicto Monasterio Papiensi.

X.

Guido Carraria Ciuis Bergomensis, & Monachus Vallumbrosanus supradictæ Abbatiæ Sancti Sepulchri de Astino, successit, teste Bartholomæo de Peregrinis in Episcopatu Bergomensi Vsuardo de Vsuardis Episcopo illius Ciuitatis de Mense Ianuarij anni 1280. & quia reijcitur obitus eius in diem Februarij sequentis anni 1281. Hinc apertè mon-

Archiuium Astin.
Vinea Bergomen. par. 1. cap. 40.

monſtratur , Carrariam parum vixiſſe in ea dignitate, & id accidiſſe creditur, quia ipſe iam dignus eſſet dignitate maiori, permutandi videlicet Baculum Paſtoralem in ſceptrum æternum, & Epiſcopalem Thiaram in coronam gloriæ.

XI.

Guilielmus item ex Monacho Aſtinenſi electus fuit Epiſcopus Trigilienſis in Gallia circa annũ Domini 1460. Audiatur Bartholomæus de Peregrinis fidelis teſtis huius hiſtoriæ in cap. 21. ſuæ Vineæ, ibi enim referens Viros illuſtres, qui ſub cuſtodia Malphridi Abbatis floruerunt apud Aſtinum ſic ait. *Inter quos fuit Gregorius, qui ob ipſius SanctamVitam & doctrinam electus fuit Epiſcopus Bergomenſis, & Guilielmus, qui & ipſe ob ſuos religioſos mores electus fuit Epiſcopus Trigilienſis Ciuitatis Galliæ*, de Gregorio ſermonem habuimus ſupra numero quarto, & de Guilielmo hic diutius eſſet loquendum, ſed alijs deficientibus notitijs, quæ ampliorem præbeant ſcribendi materiam, deficere calamum neceſſe eſt. In hoc tamen deficere non poterit quòd laudes perennes debeat Aſtinenſi Abbatiæ vtpotè hæroum Altrici, & Parenti fæcundiſſimæ, cùm non tot Duces, & Milites prodierint ex

Vinea Bergomen. par. 2. cap. 21.
Antiquæ Memoriæ S. Sepulchri de Aſtino.

Aluo Equi Troiani in destructionem Troiæ, quot prodierunt à Claustro Monasterij Sancti Sepulchri Viri insignes, & Præsules Clarissimi in ædificationem Ecclesiæ, & gloriam Religionis Vallumbrosanæ.

XII.

Guilielmus Franchinus Romanus Monachus Ordinis Vallisumbrosæ dono linguarum conspicuus, ita præsertim calluit Hebraicam Linguam, vt Romę dum esset de familia Sanctę Praxedis dederit in lucem librum Eruditissimum in hac materia, cui titulus Sol linguæ Hebraicæ sub Pontificatu fęlicis recordationis Clementis Papę Octaui, à quo Pontifice propterea multo fuit in honore habitus, sicuti & apud totam Romanę Sapientię Academiam; Liber ipse typis mandatus, & alia eius manuscripta veritatem narrationis manifestè confirmant.

Archiuium Ripulen. lib. Memoriarum S. Praxedis de Vrbe.

R H. Ha-

H

I.

Hadrianus Cyprarij Prænestinus Congregationis Vallisumbrosę Monachus, & Abbas quantùm in sacris paginis, & diuinis litteris fuerit versatus, & quantùm in hebraica lingua simul peritus ex eo conuincitur quòd Romæ ad censuram Rabinorum adhiberetur, vt in suo volumine testatur Eudoxius Locatellus ad capit. 58. describens Vitam D. Hilarij Alcei Præsidentis. Cùm verò esset idem Hadrianus aliquando Abbas Sanctæ Praxedis de Vrbe eo tempore, quo in titulum habuit eandem Ecclesiam Cardinalis Sanctus Carolus Borromęus ei valdè carus extitit, & familiaris, quemadmodum legimus in libris memoriarum prædictæ Abbatiæ, vndè probatam satis habemus Hadriani non modo singularem doctrinam, sed & morum integritatem; Iure meritò igitur Patres Vallumbrosani in capitulo congregati de anno 1583. elegerunt illum in Generalem Ordinis, In quo munere certè ipse omnibus abundantissimè satisfecit.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 58 in Vita Hilarij Alcei circa medium Lib. Memoriarum S. Praxed. de Vrbe.

Acta Capitularia de an. 1583. in Archiuio Ripul.

Vene-

II.

Venerabilis Hermannus fuit vnus ex primis Sancti Ioannis Gualberti Discipulis, qui ad Episcopale subeundum onus fuerunt à Summo Pontifice destinati, ipse autem Volaterranam Ecclesiam sortitus est, vt refert Didacus de Franchis in sua historia; Abbas verò Vghellus hæc refert in sua. *Hermannus Episcopus Volaterranus Ordinis Vallisumbrosæ Monachus, & Sancti Ioannis Gualberti Discipulus vixit circa annum Christi* 1066. Extat insuper eius laudatum nomen inscriptum in lapide apud Cathedralem Volterræ, de cuius memoria gaudet adhuc illa Sponsa Ecclesia, dum ipse melius gaudet quòd nomen suum scriptum fuerit in libro Vitæ.

Italia Sacra tom.1. in appendice pag. 343.

Didacus de Franchis in historia S. Ioan. Gualbart. lib. 5. pag. 116.

III.

Hermenegildus Bracci Ciuis Florentinus ex sorore Nepos dignissimus Abbatis de Erminijs qui diù in Aula serenissima Principum Ethruriæ inseruijt à Sacretis Cardinali amplissimo Carolo Medices, Auunculi sui vestigijs inhærens, in Religione Vallumbrosana etiam ipse à secretis aliquando fuit tempore Generalis D. Ascanij Tamburini, & indè D. Cammilli de Turre, sed hi non fuerunt limites magnæ habilitatis eius, Philoso-

losophiæ, ac Theologiæ professor conspicuus ad has edocendas in gradu tam pręcellenti repertus fuit idoneus, vt etiam extra Religionem Vallisumbrosæ à Monachis Cassinensibus pro Lectore sit expetitus; Apud Cassinenses igitur Magisterio assumpto ex Obedientia Generalis Vallumbrosani, mirum est, quàm benè Religiosam illam Iuuentutem in scientijs erudierit, certè eorum Monachorum singulares progressus in studijs euidenter apparuerunt in publicis Thæsibus, quas defendendas suscepere sub assistentia Magistri D. Hermenegildi, nam alias, vel numquam, vel raró auditi sunt defendentes ex Cathedra tam Docti Discipuli: Declamator insuper Verbi Dei admodum celebris, pluribus in locis, & Ciuitatibus per Quadragesimas est concionatus noster Hermenegildus, & ea pollebat in dicendo energia, vt mouere posset pro libito quo vellet audientium affectus, ac voluntates, singulare certè donum, & in primis optabile in sacris Cõcionatoribus. Destinatus Prior Claustralis, indè ad Decanatum Vallisumbrosæ, posteà ad munus Abbatiale, in omnibus gradibus sibi à Sancta Obedientia delatis diligentissimam nauauit operam in Reipublicæ Vallisumbrosæ beneficium, pro

Archiuium Vallisumbrosæ Ripulens. Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ S. Saluatoris apud Castrum-Franchum.

qua ſemper laborando ad laborum ſuorum præmium capeſſendum tandem euolauit anno 1683. ætatis ſuæ circiter 54. in ſua Abbatia Sancti Saluatoris apud Caſtrum-Franchum circa regionem Vallis Arni.

IV.

Hyacinthus Gucci Ciuis Florentinus oriundus tamen ab Vrbe Sancti Miniatis in Tuſcia Monachus, & Abbas Congregationis Vallisumbroſæ inter celebres Concionatores Vallumbroſanos dignè annumeratur; Concionatus eſt enim magna cum laude in pluribus Italiæ Pergamis valdè claris, præſertim Florentiæ, Foroliuij, & Neapolis. Locum etiam tenet inter Scriptores Ordinis cum ſcripſerit materna lingua duos libros, alterum cui titulus: *Il Principe Christiano Politico*; Alterum, qui inſcribitur *Le Parabole Sacre, dedicate Al Gran Duca Ferdinando Secondo de' Medici*, vt ex eius Operibus.

Archiuium Ripulenſ. lib. Typis mandat. de an. 1630.

V.

B. Hieronymus Eremita ad annos 35. ſolitariam vitam duxit in ea Eremo, quæ ſuper pręgrande ſaxum poſita, vulgari nomine dicitur: *Il Maſſo delle Celle*, quò ſe recepit de licentia Superiorum ductus à ſpiritu

ritu

ritu vacandi totaliter Deo, & liberiori manu macerandi Corpus ſuum non ſolùm ſupererogatorijs Ieiunijs, quæ auſteritate maxima obſeruabat, vt plurimum ſolo pane, & aqua contentus, ſed & Cilicijs, ac flagellis, & alijs pænarum inſtrumentis, per quę cruentum bellum ſuæ carni indicebat. Eudoxius Locatellus vt vna complecteretur periodo omnes macerationes eius ait, ipſum fuiſſe perſimilem in hac re alteri Hieronymo Eccleſiæ Doctori apud Bethleem ſeſe maceranti, qui antonomaſticè dicitur *il macerato petto*; ſed de maceratione carnis reſoluto corpore tandem tranſijt ad gaudia ſpiritus in Cælo fruenda anno 1124. die 18. Nouembris cùm pro tali die anuncietur feſtum eius in Martyrologio Benedictino his verbis *Duodecimo Kalendas Decembris obitus Beati Hieronymi Eremitæ Ordinis Valliſumbroſæ*.

Martyrolog. Benedictinum Vuion pag. 373.
Bernard. del Sera in Vita Atthon. Epiſc. pag. 6.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 16. pag. 214.

VI.

Hieronymus Radiolenſis Prior Abbatialis Sancti Donati in Vincla inter Scriptores Vallumbroſanos valdè celebris, ſcripſit in primis Vitam Beatę Marię Virginis, erga quam tenerrimę deuotionis affectu erat inflammatus: Deindè Miracula Sancti Ioannis

Archiuium Valliſumbroſæ

nis Gualberti, & opus hoc dedicauit magnifico Laurentio Medices, cui extitit ipſe ſingulariter acceptus, pręterea tractatus edidit ſuper geſtis aliquorum Beatorum, ſuper tribus votis ſolemnibus, ſuper gradibus humilitatis, & ſuper virtute patientię, Epiſtolę autem ab eo datę, & aliæ Sacræ Elucubrationes fuerunt ferè innumerabiles. Ne momento quidem temporis viſus eſt vnquam ociari, quinimmò ſemper actu fuit occupatus in aliquo laudabili exercitio, vel legendo, vel ſcribendo, vel orando; preter horas canonicas bis in die recitabat Officium Virginis Deiparę, ſemel in die Officium Defunctorum, Pſalmos graduales, & pęnitentiales cùm litanijs, & precibus. Vltra conſuetas Religionis Quadrageſimas, & ieiunia etiam alijs ſuperadditis abſtinentijs carnem macerabat ſicut & cilicijs, & frequentibus flagellationibus. Ingraueſcente ætate grauem infirmitatem diù ſuſtinuit, ex qua tandem ſe noſcens moriturum morti proximus deferri voluit ad Eccleſiam ante Altare dicatum eidem Deiparę Virgini, vbi refectus Auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento per modum viatici iterum ad cellam eſt deportatus, ibique non multò

Bernard. del Sera in ſuo Compendio Beator. pag. 19.

Didacus de Franchis in Hiſtoria S. Io. Gualb. in Citatione Auctorum.

poſt

post recepta prius Extrema vnctione dum inuocat ore, quod semper gestauit impressum in corde dulcissimum Nomen Marię, in suauissimo flatu efflauit Animam, Animamque suscepit, vt piè creditur, in hora mortis Maria sępiùs inuocata, ab ipso illa hymni strophe *Maria Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*; Suscepta in sinu Marię eius Anima, Corpus decenti honore humatum fuit sęculo præterito inter alios Venerabiles Patres Congregationis Vallisumbrosę.

VII.

Hilarius Alcei, siue Cei ab Ethruria Monachus primùm gregarius, deindè scientiarum Magister, posteà Abbas, demũ Generalis Vallisumbrosę in serie Generaliũ trigesimus septimus hos omnes gradus attentis dotibus suis, ac laboribus de condigno meruisse, sicuti eos cõdignè administrasse nulli fecit dubium Sal in primis ipse sapientię adeò titillauit in alijs appetitum sciendi, vt numquam anteà fortasse visi fuerint inter Vallumbrosanos tot scientiarum studiosi. Restituit pręsertim studia linguarum, vnde multos posteà Vallumbrosana Religio habuit linguę Gręcę, & Hebraicę professores insignes; Insignio-

Archiuium Ripulense. Lignum Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 56. cap. 35. vbi de Præsidentibus. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 58. pag. 317.

ſignores autem eo tempore fuerunt Hadrianus Cyprarij, D. Cęſar Mainardes de quibus dictum eſt ſupra ſuis locis, & D. Cherubinus à Regello. In tanta aqua ſapientię per Vmbroſam Vallem abbundanter ex ſuo fonte diffuſa quàm benè Alceus adnauigauit ad gloriam, & quidem ne dum humanam, ſed & Cæleſtem, & huius quidem citò tenuit Portum, non enim abſoluto ſui Præſidentatus triennio glorioſus peruenit ad littora beatæ æternitatis anno 1552. in Monaſterio Ripulenſi Solita Generalium Reſidentia.

VIII.

Hilarius Mortari Concionator inter Vallumbroſanos celeberrimus, & in tota Italia notiſſimus floruit circa finem præteriti Sæculi, & magnis fuit carus Principibus, qui dum ad condignam eius meriti remunerationem Fauentinæ Eccleſiæ præficiendum curant, ex improuiſa infirmitate non iam morta rem, ſed mortalem ſentientes mox verè mortuum lugent; verùm lugentibus amicis, in ſua Hilaritate Hilarius lætatus eſt, quòd media diſſolutione Corporis aſſequeretur illam cum Chriſto vnionem, quam vnicè cupiebat ſolitus dicere

Fragmenta Hiſtoriarum Aſcan. Tambur. & Memoriæ Valliſumbroſæ.

cum Apoſtolo, *cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*.

IX.

Hildebrandus de Comitibus Guidis Monachus Ordinis Vallisumbroſæ, & Abbas Monaſterij S. Michaelis de Piſtorio, ad Piſtorienſem Eccleſiam fuit aſſumptus poſt Petrum ſimiliter Epiſcopum Vallumbroſanum, vt ſuo loco dicemus littera P. *Obtinuit Hildebrandus à Comitiſſa Mathilde priuilegia multa, quorum fauore*, (vtor verbis Vghelli) *plures Eccleſiæ Piſtorienſis Iuriſditiones recuperauit*, & poſtquam ſponſam ſuam ſic ditaſſet, viduatam reliquit.

Italia Sacra tom 3. pag. 357. Catalogus Epiſcoporum Piſtorienſ.

X.

Hildebrandus alter huius nominis Epiſcopus Vallumbroſanus, ſortitus eſt Epiſcopatum in Regione Liguriæ in illa nempè Ciuitate, quæ apud Ligures, Brugnetto, vulgari nomine appellatur, & ipſe propterea dictus Epiſcopus Brugnatenſis, ſeu vt alij volunt, Brumacenſis. Floruit ſub initium ſecundi ſæculi ſupra milleſimũ, nam in Fragmentis Hiſtoricis Aſcanij Tamburini adnotatur circa annos Domini 1122. nec alia geſtorum eius ad nos peruenit notitia.

Fragmenta Hiſtoriarum Aſcan. Tamburini.

Hyppo-

XI.

Hyppolitus Cerboni Monachus, & Abbas Congregationis Vallisumbrosæ, ac Sacræ Theologiæ Doctor, Artis quoque Poeticæ, & politioris litteraturæ Professor admodum conspicuus fuit, in dicendo valdè facundus, & stylum exornatiuum præsertim coluit ad encomiasten valdè accomodatum, illa tamen Panegeris extat insigior, quæ ab ipso elucubrata, & mox recitata fuit in honorem Sanctæ Humilitatis Abbatissæ die 5. Maij de anno 1624. quando sacrum eius corpus translatum fuit ad Ecclesiam Sancti Saluij propè Florentiam, ad quam translationem conuenerunt Plurimi ex Florentinis Ciuibus, & ex habitantibus in Vicis Suburbanis, plaudentibus Vniuersis Panegiristæ Eximio; Panegeris autem ad Typographiam Ciuitatis delata, typis publicis mandata fuit vnà cum aliquot Octauis super lacrymas eiusdem Sanctæ Humilitatis, & Opus dicatum Illustrissimæ, ac Excellentissimæ Dominæ Constantiæ Magalotti de Barberinis, vt apparet in fronte ipsius operis.

Didacus de Franchis in Citatione Auctor. ad Histor. S. Io. Guatb. Lib. Memoriarum Religionis.

XII.

Beatus Homodeus Nobilis Ariminensis

familia de Ordelaffis, quæ inter illuſtriores Italiæ annumeratur à Sanſouino, ætate iam prouecta ad Vallemumbrosã acceſſit, eo tempore, quo D. Franciſcus Altouitus erat Generalis Ordinis, & ab eo impetrauit habitum Vallumbroſanum, quo indutus illicò ſatis aſperam viuendi formam aggreſſus eſt, & vt melius ſuo indulgeret feruori obtinuit ab ipſo Generali ſolitarium locum vulgariter dictum, *le Celle*, de quo loco tranſijt ad aliam Eremum vulgariter dictam, *la Macinaia*, vbi ſub ruſtico, & anguſtiſſimo tecto, difficilè dictu eſt, quantis corporis afflictationibus ſeſe excruciauerit, numquam in primis Carnes, vel lacticinia, aut vinum guſtauit, panis, & aqua ſolùm erat eius quotidiana refectio, ad delicium aliquando herbas non tamen coctas, & Silueſtria poma comedit: Frigoris patientiſſimus nunquam paſſus eſt calefieri ad ignem, de cingulo præcipuè deorſum vſque, etiam cùm montes illi circumquaque operirentur in hyeme altis niuibus, per quas ſemper diſcalceatus inceſſit, etiam cùm nocturno tempore pergeret ad recitandum mattutinum in Choro Vallisumbroſæ, & cùm exindè rediret ad Cellam ſuam, quod iter inceſ-

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ tom. 2. pag. 315. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 52. pag. 307. Archiuium Vallisumbroſæ, & Arbor Aſcan. Tamburini.

incessanter singulis noctibus peragebat, ferreo insuper præcintus cingulo super nudo, catenis, & retortis funiculis membra frequenter flagellabat vsque ad copiosam sanguinis effusionem, crucem ferream magni ponderis è collo pendentem gestabat, necessarium somnum humi carpebat, diuinarum rerum comtemplationi assiduè vacabat, & ad annos quadraginta à tali rigore nunquam deflexit. Quantò autem erga se erat austerior, tantò magis erga alios erat suauior, proceritate corporis, ac Maiestate vultus, sicuti intuentium oculos ad sese rapiebat, sic suauitate sermonis animos demulcebat; Cùm aliquando Florentiam iret, vt in festo Sancti Ioannis Baptistæ interesset cum alijs Patribus Processioni solemni, commota est vniuersa Ciuitas ad videndum venerabilem senem è tanta nobilitate generis sub tanta humilitate status, reuertentes cuncti Domos suas ab eius aspectu spiritualiter recreati; Ipse autem reuersus ad suam Eremum non multò post propè nonagenarius migrauit in Cælum anno Domini 1519. die 22. Septembris, pro qua annunciatur eius beatus transitus in Martyrologio Benedictino sic, *Decimo Kalendas Octobris Beati Ho-*

modei

modei Eremitæ Ordinis Vallisumbrosæ, qui per spatium quadraginta annorum catena ferrea super nudo præcinctus incessit. Post obitum Beati Homodei statim exsiccatus est proximus Cellæ fons, quem ipse iam miraculosè impetrauerat à Deo, ne occasionem haberet longiùs eundi ad hauriendam aquam pro necessario suo vsu, & diutiùs manedi extra confines suæ dilectæ Solitudinis, & Eremitorij, nec sine Misterio fortasse accidit huiusmodi prodigiosa fontis exsiccatio, vt scilicet representaretur in ea, exsiccatum esse per temporalem B. Homodei mortem fontem mysticum in terris illius cælestis aquę memoratæ in Euangelio salientis in vitam æternam, neque sine Misterio fuit in Nostro Beato nomen ipsum Homodei; Homodeus profectò propter vnionem hypostaticam inter Deum, & hominem propriè fuit solùm Christus; sed quia Beatus Noster tàm benè expressit in se Christum, & hunc quidem Crucifixum, quando Crucis mortificationem in corpore suo iugiter pro eius amore portauit, proptereà per quandam analogiã conuenienter vocatus est Homodeus, vndè factus est locus illi adagio, & vulgari satis effato. *Conueniunt rebus nomina sępè suis*.

Hora-

XIII.

Horatius Morandus Romanus Quinquagesimus octauus Generalis Vallisumbrosę varia scientiarum eruditione clarus, Astronomiæ, & Theologiæ facultatibus admodum excultus, in dicendo pariter amænis Leporibus exornatus, mirum est quantam ipse gratiam his gratuitis, & naturalibus donis assequutus sit apud Magnates, & Principes sui œui tum Sæculares, tum Ecclesiasticos; Hi profectò eius eruditis colloquijs summoperè delectati certatim eum adibant pendentes ab ore loquentis, & expectantes etiam Consilia Horatij quasi Oracula super arduis negocijs, super quibus ipsum consulebant, Præsertim id frequentiùs accidit eo tempore, quo Morandus morabatur Romę Abbas Sanctæ Praxedis de Vrbe, cui Abbatiæ pluribus præfuit interruptis Quadriennis, at dum ex vna parte multorum fruebatur gratia, & amore, alia ex parte aliquorum euadere non potuit indigniationem, & inuidiam, qua præualente de sublimi honorum fastigio statim inuersa fortunæ Rota se vidit ad ima deiectum, & à potentibus Viris potenter admodum vexatum, quæ improuisa vexatio sicut elongauit

Archiuium Ripulens. Lib. Memoriarum S.Praxed. de Vrbe.

uit amicos, & proximos. Sic Historicum, fecit illud Poetæ carmen, quo dicitur.

Tempore fælici multi inueniuntur Amici,
Si fortuna perit nullus amicus erit.

Elongatos igitur à se lugens amicos, spoliatam deflens Bibliothecam satis Romæ celebrem de suo nomine Morandam dictam, & præreptam sibi omnem spem vlteriorum dignitatum etiam sublimium, ad quas constans fama fuit illi cæteroqui patefactum esse aditum, & quidem in proximo, Inuidos ex parte alia super se subsannatione subsannantes, irridentes, & increpantes, ferè nouus Iob apparuit in conspectu Romanæ Curiæ tot circumdatus eodem tempore ęrumnis, & mæroribus, ac infortunijs, in quibus & ille patientissimi Viri vsurpabat effatum, *Dominus dedit Dominus abstulit sicut Domino placuit ita factum est sit nomen Domini benedictum*, & hæc erat in ore ipsius consueta Thessera, & hic erat validus clipeus in defensionem animi assumptus contra tot simul ingruentes aduersitates; At quia non obstante fortitudine spiritus caro est infirma, proindè infirmatus corpore ex tantis agitationibus animi, & simul à magnis incommodis in corpore ipso per-

perpessis non multò post de Mense Octobris anno 1630. sexagenario maior fato cessit, & corpus eius sepultum fuit in Ecclesia Sanctæ Praxedis dum eius anima, quæ vt anima sapientis dominabatur Astris adhuc ligata corpore in terris, melius, vt piè creditur iam dominatur super astra nunc soluta corpore in Cælis.

XIV.

S. Humilitas aliquot Monasteriorum Monialium Vallisumbrosæ Fundatrix nobili genere Fauentiæ nata, quam in votis habebat Religiosam vitam vel à teneris annis paterna in domo agere visa est, humana commercia declinans, vt Deo liberiùs vacaret, & à corporis delicijs, ac pompis Muliebribus longissimè abhorrens, Viro, cui ex maiorum auctoritate, non ex voluntate nupserat ad continentiæ postmodum vitæque Religiosæ consilium inducto, ad Sanctæ Perpetuæ Cænobium continuò euolauit, quo in Sanctimoniȩ Gymnasio tantùm breui profecit, vt iussa aliquando pium librum ad mensam de more perlegere, elatis repente in Cælum oculis egregium de Christiana perfectione sermonem habuerit attonitis quȩ

Hypolitus in sua Panegeri typ. Florent mandata de anno 1624.
Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 12.
Eudox Locatell. lib. 2. cap. 35 pag. 249.
Chronic. Monaster.
Petri Calzola giornata 3. pag. 144.
Vuion tom. 2. in Martyrologio Benedictino ad diem 22. Maij.

aderant omnibus ad rei nouitatem, & subitum illum animi motum, ac dicentis ardorem dictorumque sublimitatem Diuino spiritui ascribentibus, sed cum arctioris adhuc solitudinis desiderio flagraret, accidit die quadam, vt ab alienato à sensibus animo extra Monasterij septa sublimis Diuinitùs raperetur, nec prius tam insigne prodigium in se perpetratum agnosceret, quàm nouo illud miraculo geminasset obiecti fluminis vadum sicco vestigio transiens, tunc enim quasi è somno experrecta ad Auunculi primùm Aedes deuenit, earumque remotissimo in Angulo latens Cælestium rerum contemplationi se totam impendit. Mox ad Populares plausus euitandos, quos ægro repente sanato commouerat iuxta cellulæ angustæ Parietes obstructo penitùs ostio, tumulauit se veriùs quàm conclusit, ibique aspero cilicio induta ad panem, & aquam, quæ semel in die degustabat nihil obsonij præter cocta interdum oluscula adiungens seuerissimam duodecim annis vitam traduxit. Hinc latiùs manante sanctitatis fama multorum consilio, & auctoritate impulsa est, vt extruendi
sub

ſub Deiparæ Patrocinio Cænobij guberna-
tionem ſuſciperet, cui acceptis à Generali
Ordinis Vallisumbroſæ conſtitutionibus, &
forma viuendi non exemplo minus, quàm
imperio præfuit, donec Florentiam, inui-
tantibus ciuibus, & D. Iaonne Euangeliſta,
qui ſe illi ſpectandum præbuerat cohortan-
te, ad alterius Monaſterij fundationem ſe
tranſtulit, & nouæ domus primordia ſingu-
lari pietate informauit. Diutino tandem
morbo confecta cum nonageſimum circiter
annum ageret vndecimo Kalendas Iunij,
qui dies eo anno in feriam ſextam incide-
rat migrauit ad ſuperos, proinde quaſi ipſum
etiam mortis diem cum ſuo Cæleſti ſponſo
communem habere vellet, cuius cruciatus,
ac mortem tanto doloris cum ſenſu recole-
re viuens conſueuerat, vt ex ea meditatio-
ne cruentas ab oculis lacrymas nonnum-
quam effuderit. Multis ante, & poſt obi-
tum miraculis claruit; Panem vnum vſque
eò multiplicauit, vt tredecim Sororibus ad
ſatietatem ſufficeret; Pium librum dictante
candidiſſima Columba roſtro, & pedibus
aureis læuum ſupra humerum iuxta aurem
adeſſe viſa eſt, Prophetiæ ſpiritu afflata, &

Cælesti lumine perfusa pluries futura prædixit, vnamque ex Monialibus, vt certum crimen quod hactenus prę pudore occultatum habuerat, salutari. Confessione expiaret, admonuit; curationum quoque dono insignis præter alios morbos, vel Crucis signo, vel attactu depulsos, extinctum puerum ad vitam reuocauit, ex eius tumulo oleum aliquando manauit: Sacrum vero corpus Florentiæ iuxta quam Vrbem anno 1310. obijt ad hanc diem incorruptum pia cum veneratione asseruatur in Monasterio Sancti Saluij. De Sancta Humilitate agunt varij Auctores pręcipuè qui citantur in margine. Hic solum citabimus Verba Martyrologij Benedictini annunciantis festum S. Humilitatis sub die 22. Maij, & sic dicentis *Vndecimo Kalendas Iunij Florentiæ S. Humilitatis Abbatissæ Ordinis Vallisumbrosæ*. Apud Dominicum Saxum Sacrorum Rituum Cancellarium seu Notarium duos reperies processus, alterum fabricatum Florentiæ, Fauentię alterum comprobantes cultum immemorabilem Sanctę Humilitatis; Alię scripturę in folio spectantes ad eundem cultum consignatę fuerunt no-

notiſſimo Curiali Romano N. N. Meolę, qui eſt vnus ex approbatis Procuratoribus ab eadem Sacra Rituum Congregatione ad agitandas cauſas Sanctorum, & ad hunc finem, vt ipſe cauſam intermiſſam reaſſumeret pro Sancta Humilitate, ſed nouis inſurgentibus obſtaculis iterum intermiſſa fuit animo reaſſumendi illam tempore congruentiori.

Vene-

I

I.

VEnerabilis Iacobus de Peruetuſta ſatis & Nobili Auolantum Familia Florentię Ortus à teneris annis inter Monachos Valliſumbroſę piè educatus, poſtmodum emiſſa profeſſione ſtudijs humaniorum litterarum addictus plurimùm in ijs profecit, ac Rethor inſignis euaſit, & in eloquio facundus, nec eruditione caruit ſpeculatiuarum ſcientiarum; Virtutes verò morales viſę ſunt in eo proprietates in quarto modo, vt aiunt Philoſophi, ſed manſuetudo illi magis propria, imò proprijſſima, mediante qua ita ſe temperauit, vt nulli vnquam reſponderit iratus, vndè proproceſſu temporis renunciatus Generalis Ordinis tamquam Rex pacificus regnauit in amore ſubditorum, de quibus nemo acceſſit ad eum turbatus, qui non recederet pacatus, nemo afflictus, qui non diſcederet conſolatus, nec ſolùm in componendis Monachorum perturbationibus eius virtus enituit; Sed quaſi bellici furoris ſedandi prerogatiua eſſet inſignitus, etiam Seculares

Archiuium Ripulen.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio. pag.8
Eudox. Locatell. lib.2. cap.22.pag. 200.
Lignum Vitæ tom.2.lib. 1.cap.34. pag. 54.

Ma-

Magiſtratus, & Conciues ſuos Florentinos identidem inter ſeſe decertantes, & populares commouentes tumultus ad concordiam reuocauit, & Rempublicam tranquillitati reſtituit. Ipſe autem de quiete publica benemeritus quieuit in pace anno ſui Regiminis decimoquarto, ſalutis 1179. die 3. Nouembris in qua Auolantes auolauit in Cęlum.

II.

Venerabilis Iacobus alter huius Nominis Generalis, & in ſerie Generalium Decimus Nonus licet vir magnæ experientiæ ſingularis doctrinæ, & virtutis eximiæ, ac propterea in aliorum oculis admirabilis, in oculis tamen ſuis adeò ſibi videbatur deſpicabilis, vt minimum omnium ſeſe diceret, & crederet. Vnde à Patribus ad comitia Congregatis de anno 1272. poſt obitum Plebani vix per enixas, & reiteratas pluries preces, & per varias artes, imò per ipſam vim adduci potuit ad præſtandum aſſenſum in ſui Electionem, & certè illum tandem præſtitit nonniſi ex motiuo exercendi actum verè ſubiectionis, ſubijciendo ſe Patrum voluntati non tam eligentium, quam abſolutè iubentium, quantùm verò Iacobus

ſeſe

ſeſe deſpexit tantundem alios honorauit prę-ueniendo ſemper alios, iuxta Pauli Apoſtoli monita, in honore cuicumque proportionaliter debito, retenta huiuſmodi laudabili conſuetudine etiam in ſuprema Generalis dignitate conſtitutus erga Abbates, & Reliquos inferiores reſpectiuè ſubditos. Decorem Domus Dei ſummopere dilexit, & Eccleſiam vt Sponſam honoratam præparare curauit Cæleſti Sponſo præcauens ne quidquam deeſſet ad ornamentum eius in Supellectili Sacra circa Indumenta Sacerdotalia, Calices, Patenas, Pallas, Purificatoria, & huiuſmodi pro vſu Altaris, quæ omnia voluit munda mundiſſima, ſed & præter munditiam externam Paramentorum, imperauit multò magis Sacerdotibus internam munditiam cordium in administratione Sacramentorum, quod vt melius conſequeretur à Miniſtris præſertim Sacramenti Pęnitentiæ ad id exercendum munus hoc eſt ad audiendas confeſſiones nonniſi Venerabiles Patres, & prouectioris ętatis deſtinauit, & multa alia in bonum regimen Congregationis Sanctiſſimè inſtituit, & quæ debuerant prouocare omnes ad eius amorem, & reuerentiam aliquorum tamen

Bernard. del Sera in ſuo Compeedio pag. 11. Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tomo 1. lib. 1. pag. 54 cap. 34. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 32. pag. 245. Archiuium Valliſumbroſæ, & Ripul.

gratis

gratis excitauit auersionem, & inuidiam; Sed illos Iacobus non multò post suauibus Epistolis ad eos datis, & efficacia rationum ad sui reuocauit obedientiam, & amicitiam; Vnde in amore omnium decessit anno 1277. die tertia Nouembris, cum per integrum Lustrum lustrando Religionem, illam non minus sanctitate suorum morum, quàm instituta in alijs disciplina mirabiliter illustrasset, & sepultus fuit in Valleumbrosa apud alios Venerabiles Patres. Eius autem memoria non peribit in æuum, nam in memoria æterna erit iustus.

III.

Iacobus quidam Monachus Vallumbrosanus circa finem secundi Sæculi Vallumbrosanæ Religionis cæpit auro ita affabrè, & concinnè ornare libros chorales, ac eorum miniaturas, & characteres, vt huius artis diceretur Inuentor, quæ ars in tam præcellenti gradu visa est postmodum, & cum ipso perijsse. Extant singulares memoriæ laborum eius in libris choralibus ab eo conscriptis, & exornatis, qui asseruantur Senis, Florentiæ, Pisis, & in Archicænobio Vallisumbrosæ.

Fragmenta Historiarum Ascan. Tamburini.

IV.

Iacobus Trifcurius Ciuis Bergomates profeffione Monachus Vallifumbrofæ, & Abbas Sancti Sepulchri de Aftino inter Euangelicos operarios Bergomenfis Vineæ connumeratur à Bartholomæo de Peregrinis, & cum diù laboraffet in eadem vinea, & ex eius labore Vinea ipfa multum fructum attuliffet à Magno Patre Familias vocatus eft ad accipiendam mercedem laboris de anno 1336. & quam mercedem? Illam profectò, quam repromiferat Dominus Abrahæ dicens, ego ero merces tua magna nimis.

Vinea Bergomen. par. 2. cap 54.
Archiuium S. Sepulchri de Aftino.

V.

Iacobus de Senis piè admodum educatus apud Parentes in Sæculo multò melius posteà pietatis exercitia coluit apud Vallumbrofanos in Religione, quibus & adiunxit ftudia litterarum; Mufarum in primis alumnus arti poeticæ operam dedit, & in elucubrandis carminibus potiffimùm ex inclinatione animi propenfus erat ad ftylum Illyricum, in quo metro plurimum fcripfit, Hymnos videlicet Sacros, & Odes in diuerfis materijs penè innumerabiles, vnde nomen fui, & famam infignis Poetæ tranfmifit

Iacob. de Prato Veteri in Volum de Miraculis B. M. Virginis meminit huius Iacobi de Senes.
Memoriæ Vallifumbrofæ.

misit ad posteros; Pontificij insuper Iuris deindè desiderio flagrans, & positiuę Theologiæ vt exactam super hac re notitiam adipisceretur, nulli pepercit labori, donec iugi studio, & continuis vigilijs eam tandem est assequutus, ea exultatione animi, qua exultant Victores capta præda, cùm in Ordine naturæ excedat sapientiæ bonum omnia alia bona, Possessionem igitur sapientiæ adeptus, quid mirùm, si illam pręferens Sedibus Generalitijs, & Abbatialibus, Dominijs, & Prælaturis, solitarium Eremitam agere decreuerit in Eremitorio Cellarum sola contentus sapientia sua? Ab ista edoctus quid agere deberet in statu suo, & quomodo se gereret in suis actibus, omnia secundùm apicem iuris Pontificij seu Canonici, & Legis Diuinæ fideliter adimpleuit, sic Doctor non minus quàm factor legis, cùm fecerit, & docuerit magnus vocabitur in Regno Cælorum.

VI.

Iacobus de Prato Veteri Linguarum Professor valdè rarus, & quòd rarius est, Magister huius facultatis præsertim linguæ Grææ, & quidem in ipso iuuentutis flore, quinimmo in ipsa penè adolescentia. Cùm

Didacus de Franchis sub initium suæ Historiæ in Ciuitat. Auctor. Archiuium Ripulens.

ipse decesserit è vita vix impleto ætatis suę vigesimo anno, qui fuit nostræ salutis 1483. maturitate quippè morum iam ex tunc plusquam maturus erat fructus pro delicijs Beatorum. Quòd autem Iacobus de Prato Veteri decesserit cum fama Sanctitatis apertè testatur in primis Didacus de Franchis in Catalogo Scriptorum sub initium suæ Historiæ, nam & scriptoris etiam nomen inter Vallumbrosanos obtinuit Iacobus noster, scripsit enim volumen sacrum de Miraculis Beatæ Mariæ Virginis, quòd asseruatur in Archiuio Vallisumbrosæ, cultum autem specialem erga Deiparam didicerat ab Hieronymo Radiolensi viro illo venerabili æquè docto, ac pio, cuius ipse fuit dignus Discipulus.

VII.

Lib. Memoriarum Vallis-Vmbrosæ, Sancti Michaelis de Passiniano,

Iacobus Mindria Monachus primùm, deindè processu temporis Abbas Congregationis Vallisumbrosæ, & præsertim Passinianensis Abbatiæ natus iam in satis Claro Clusentinæ Prouinciæ oppido, Bibiena, nuncupato (cui claritatem addidit sub Leone Papa X. Clarissimus ille Purpuræ splendor Cardinalis Tarlatus, seu Douitius cognomento magis in vsu dictus Cardinalis

de

de Bibiena) circa medium ſexti Sæculi ſupra milleſimum floruit etiam ipſe in profeſſione linguarum: & ſpecialiter in eadem lingua Græca, quam adeò calluit, vt in eo Idiomate varios ſcripſerit tractatus, & inſuper præcepta dederit ad illam facilius addiſcendam.

VIII.

Ignatius Guiducci Florentinus Linguarumipſe quoque ornamento decorus, nec aliarum facultatum ignarus, iucunditate, ac ſuauitate morum valdè amabilis, & vir probatę integritatis, his dotibus aditum ſibi reſerauit ad primarios Religionis gradus vſque ad ſupremum Generalatus incluſiuè, quem aſcendit de communi Patrum conſenſu in Comitijs Generalibus celebratis anno 1648. Ipſius debemus labori, & ſtudio ſi Archiuiorum antiquæ paginæ per Ordinem inueniuntur diſpoſitæ cum ſuo Indice, & Rubricella, vt vocant, ex quo eius memoria viuet in omnibus Religionis Memorijs per ſæcula futura.

Archiuium, & Memoriæ paſſim Vallis Vmbroſæ.

IX.

Sanctus Ioannes Gualbertus Inſtitutor Congregationis Valliſumbroſæ natus eſt Florentiæ anno ſalutis 985. ex vetuſtiſſima

S. Ioan. Gualbertus.

ſimul,

ſimul, & Nobiliſſima Biſdominorum Familia Marchionum de Petroio, quod erat oppidum in Ethruria octo ſupra decem milliaribus à prædicta Ciuitate diſſitum, tunc temporis Imperiale fæudum, deindè verò bellicis deuaſtatum incurſionibus, vix aliquod hodie de ruinis ſuis præbet Veſtigium: anno poſteà 1003. vt refert Baronius, & ætatis ſuæ 18. Nobilis Adoleſcens in Monaſterio S. Miniatis non procul à mœnibus eiuſdem Vrbis Cucullum induit Cluniacenſium, & mirabili planè vocatione illum Deus traxit à Sęculo: Cùm enim Vgo vnicus eius Germanus Frater interfectus fuiſſet, & non multò poſt Ioannes obuium haberet interfectorem dum euaginato gladio irruit ſuper eum de nece Fratris vindictam ſumpturus: Homicida verò ad pedes eius prouolutus propter Ieſu Chriſti Paſſionem (cuius memoria propriè recolebatur illa die, quæ erat feria ſexta Paraſceues) pro venia gemebundus exorat, ad hæc verba totus in pietatem effuſus Ioannes, continet armatam dexteram, & fatalem reprimit ictum iam iam vibrandum in hoſtem, imò hoſtem in amicum receptum proprijs manibus leuat de puluere, & ad amicabiles inter ſua Brachia

Baronius to. 11. Surius Bolland. Vuion De Franchis Locatellus Martyrologiũ Romanum ad diem 12 Iulij. Breuiarium Romanum Flos Sactorum, & alij Auctores quamplurimi.

admittit

admittit amplexus; Quàm grata fuerit Deo huiusmodi hæroica Gualberti condonatio, Deus ipse manifestauit prodigio, quoniam cùm immediatè post veniam inimico concessam Templum Sancti Miniatis adijsset, ibique ante Altare Sanctissimi Crucifixi more eorum temporum depicti in Cruce lignea parieti inserta gratias ageret Maiestati Diuinæ, quod se ab odij, & vindictæ culpa immunem seruasset, ex improuiso ecce magnus perstrepit ad aures fragor, veluti ligni quod violenter ab altero corpore separetur, & aspicit totam Crucis Machinam in superiori parte à pariete diuulsam, & in inferiori solum super Altari innixam erga se ipsum mirabiliter inclinari, & insuper videt oculos Sacræ Imaginis ex mæstis fieri lætos, & hilares, erga se benignissimos figentes obtutus, ac si Redemptor humani generis exultaret, eo quod Ioannes Diuinæ Indulgentiæ suæ tàm benè imitatus fuerit exemplum, vt ait Heruæus, vel quasi Christus Dominus illi grates reddere voluisset, quia in memoriam suæ Passionis Christianus miles ignouerit suo inimico iuxta opinionem Baronij; Aut tandem amicabiles amplexus ei retribuere vellet pro simili-

milibus actibus erga hostem ab ipso exhibitis secundùm Breuiarium Monasticum. Ioannes vero superno circumfusus lumine inter tot prodigia, penè raptus in estasim aliquantisper hæsit attonitus sine motu, & sine vllo sensuum vsu, sed posteà sensibus restitutus conceptum mente sermonem ore proferens, abrenuncio inquit Mundo, & omnibus pompis eius, valete opes paternæ domus, valete arma, valete Militaria Castra, cedant arma Monachali Togæ, cedant Castra Claustris, intra claustra hæc me recipio, hic habitabo quoniam elegi ea; Electione facta Religiosi status statim illum amplectitur assumens in Cænobio Sancti Miniatis, vt superius innui, habitum Cluniacensium: Quod si Ioannes Gualbertus in sæculo ipso dum sistit in ordine equestri, & viuit more militum de quibus cecinit Poeta: *Nulla salus, pietasque viris, qui castra sequuntur*, tanta tamen enituit pietate, vt pietatis actus vel in gradu hæroico elicere potuerit, quemadmodum huc vsque diximus, quàm pius dicendus erit Religionem ingressus, & Monachum indutus! Profectò tanta statim resplenduit luce Sanctitatis, vt veluti Stellæ ad Solem compara-

pararentur ad ipſum reliqui Cœnobitæ Inſignores Ethruſci Emiſpherij : Hinc Abbate Sancti Miniatis defuncto, Gualberto præfectura defertur, ſed ipſe cupiens potiùs ſubeſſe quàm præeſſe, oblatam ſuſcipere dignitatem conſtantiſſimè renuit; Animaduertens verò poſteà, aliquos ex alia parte etiam illicitis artibus per pactos Simoniacos aditum ſibi quærere ad honorem illum, quem paulò ante ipſe recuſauerat vel ſpontè oblatum, conſideranſque Ordinem Cluniacenſem iam olim à Sancto Bernone Inſtitutum in Gallia apud Cluniacum, & per Italiam indè dilatatum à Sancto Oddone Abbate, hic non parum à primæua Inſtitutione declinaſſe, cupidus iam reducendi illum ad priſtinam formam, diſceſſit à præfato Monaſterio Sancti Miniatis, vt congruentem locum in præintentum finem indagaret: Alpes igitur Ethruriæ peragrans vno ſtipatus Socio, qui conſcius erat eiuſdem Sanctiſſimæ Intentionis, ad Camaldulenſem peruenit Eremum, vbi aliquandiù commoratus eſt apud Sanctum Romualdum, à quo Propheticis acceptis Auſpicijs de fœlicitate Aſſumpti Conſilij iterum ſe committit itineri verſus vicinos montes donec

attigit Vmbrosam Vallem metam illi à Deo præscriptam itineris, & locum destinatum pro instaurando Cluniacensium Instituto; Nec mora, illicò pio incumbit operi iuxta Ideam in mente conceptam concurrentibus vndique in dies plurimis ad instauratam profitendam Disciplinam, tùm de sæculo laicis, tùm quoque de eodem Ordine Monachis cupientibus sub cura, & disciplina Sancti Ioannis Gualberti ad veram Cluniacensis Regulæ obseruantiam redire; Nec solùm huiusmodi obseruantiæ rigor amplectebatur à Monachis Vallem Vmbrosam adeuntibus, & sese sub disciplina Beatissimi Ioannis Gualberti immediatè constituentibus, verùm etiam ab integris Monachorum Collegijs per Ethruriam, & totam Italiam degentium, qui accepta viuendi norma ab ipsa Vmbrosa Valle commutato nomine Cluniacensium deinceps Vallumbrosani sunt appellati; Dilatatum interea sic Institutum Vallumbrosanum approbauit in primis Fesularum Antistes Dioecesanus anno salutis 1015. tunc enim Episcopis in Dioecesibus respectiuè suis hæc inerat facultas, sicuti paulò ante Episcopus Aretinus approbauerat Ordinem Camaldulensium, &

Pirrus

Pirrus Archiepiſcopus Coſentinus longè poſt approbauit in Calabria Religionem Sancti Franciſci de Paula; Sed & Vallumbroſana Religio ſua poſtmodum non caruit Sedis Apoſtolicæ approbatione, & quidem valdè ſolemni; Hæc enim data fuit in publico Florentino Concilio à Victore Papa II. de anno 1055. præuijs publicis laudationibus, & encomijs erga tale Inſtitutum coram illa Eccleſiaſticorum Principum, & Patrum Sapientiſſima Corona, ex quo ſingulari honore multùm acceſſit nominis, & famæ Congregationi Valliſumbroſæ, & ipſa cœpit amplius, ampliuſque propagari, non modo enim Cœnobia Cluniacenſium iam exiſtentia, & iam erecta Vallumbroſanæ, ſubijciebantur Reformationi, verum etiam noua erigebantur à fundamentis per varias Italiæ Prouincias, & etiam vltra montes præſertim in Gallia, vt inter cæteros Scriptores teſtatur Hieronymus Radiolenſis dicens, *Ioannes Gualbertus Beatiſſimus non ſolum Tuſciam, ſed & Vmbriam, Flamminiam, & vtramque Galliam Monaſterijs, & pijs Ædificijs decorauit*. Nec minori ſtudio, ac labore Ioannes ipſe intentus ad dilatandam Religionem Vallumbroſanam, quàm ad pro-

mouendam Fidem Catholicam contra insurgentes Hæreses, Hæresi in primis simoniacæ, & damnatæ Nicolaitarum Sectæ memorabile bellum indicens tanto cum animi ardore in earundem euersionem pugnauit, vt gloriosam de pugna reportauerit victoriam deuictis hostibus fidei Orthodoxæ. Cùm vero Victoriæ tantæ, & tanto Victori deberetur Triumphus, nec terrenum Capitolium satis esset ad merita triumphantis, in Cæleste Capitolium euectus est super pennas Angelorum, vt ibi triumpharet in gloria, & quidem per sæcula interminabiliter futura, quod totum indicare voluit Cælestinus III. quando eum solemni Ritu Sanctorum fastis ascripsit. Incidit eius beata in Cælum eleuatio in die 12. Iulij anno Christi 1075. ætatis suæ 88. in Passinianensi Monasterio, cui reliquit sui corporis exuuias, & illæ ibi vsque ad hodiernum diem magna veneratione asseruantur & coluntur; Præclara gesta Sancti Ioannis Gualberti, & eius copiosa Miracula ante, & post obitum patrata habentur passim apud Scriptores præcipuè Vallumbrosanos, qui ex professo scripserunt eius vitam ad quos remitto Lectorem, hæc summatim libasse

suffi-

ſufficiat in præſenti ad laudem Sanctiſſimi Noſtri Inſtitutoris, cui etiam laudes meæ addidiſſe, fortaſſe quodammodo decerpſiſſe eſſet, attenta mei Calami imperitia in arte dicendi.

X.

Ioannes Vngarus Monachus Valliſumbroſæ, & Abbas Abbatiæ Strumentis, ſcilicet Sancti Fidelis de Puppio Tempore Schiſmatis inter Victorem IV. pſeudo Pontificem, & Alexandrum III. Bandinellum electus eſt Cardinalis Albanus ab ipſo Antipapa Victore, quo Defuncto, & inſuper mortuo etiam alio in eius locum ſuffecto, qui Paſchalis III. dicebatur, ipſemet à ſchiſmaticis iuſſu Federici Imperatoris promotus eſt in Antipapam, cùm nomine Calliſti III. & ſupra ſeptem annos ſedit contra Alexandrum III. Tandem facti pænitens ad pedes Alexandri prouolutus veniam popoſcit, & ea impetrata à benignitate Pontificis Archiepiſcopus Beneuentanus creatus fuit; Rem geſtam fusè narrat apud Ciacconium Romualdus Epiſcopus Salernitanus his verbis *Anno Dominicæ Incarnationis* 1178. *Menſe Augusti in Festo Decollationis Sancti Ioannis Baptistæ Ioannes de Struma, qui, &*

Alphonſus Ciacconius tom. 1. in Vita Alexandr. III. pag. 108. Arbor Alcan. Tamburini. Marius Vipera in Chronologia Archiepiſcoporum Eccleſiæ Beneuentanæ.

à ſuis

à ſuis Calliſtus vocatus eſt, reatum ſuum agnoſcens Montem Albanum deſeruit, & apud Tuſculum ad pedes Papæ Alexandri cum quibuſdam ſuis Clericis humilis, ac Deuotus acceſſit, & in Conſpectu Cardinalium, & multorum ſe peccaſſe publicè confeſſus eſt dicens. Domine Venerande Papa peccatum meum manifeſtè confiteor, & me auctoritate Imperiali contra Deum, Sanctam Eccleſiam, & Vos egiſſe, ſed nunc reuerſus ad cor delictum meum deteſtor, & veniam à veſtra pietate depoſco; & omnem hæreſim, & ſchiſma abiuro, & vos in Dominum, & Vniuerſalem Patrem totius Eccleſiæ deuotè recipio; quem Alexander Papa vt erat Pius, & humilis, non obiurgauit, neque reprehendit, ſed ſecundùm ſibi innatam manſuetudinem benignè recepit dicens, Frater, Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pænitentiam agente, quod ſuggeſtione Diabolica vnitatem Eccleſiæ ſcindere voluiſti multùm doluimus, & quod inſpirante Domino ad eius vnitatem redire voluiſti plurimum gaudemus. Romana Eccleſia, quæ iuxta Ieſu Chriſti Magiſterium inimicos diligere conſueuit, te hodie pænitentem in filium recipit, & pro malis bona retribuere curabit : hactenus Salernitanus Epiſcopus: Non diù ſuperuixit Ioannes Vngarus ad hanc Pontificis abſolu-

ſolutionem,& ſuam creationem in Archiepiſcopũ Beneuentanum, nam eodem anno, quo datus fuit Paſtor illi Eccleſiæ ipſum obijſſe affirmant Hiſtorici, & pręcipuè Marius Vipera.

XI.

Beata Ioanna Sanctimonialis Tertiaria Ordinis Valliſumbroſæ Sanctitate floruit in ſecundo Sæculo Religionis, circa cuius finem conſumato curſu viæ, in qua nil aliud quæſiuit niſi dilectum ſuum meruit vocari ad Cæleſtes nuptias ab eodem ſuo Dilecto Cęleſti Sponſo tanquam vna de numero Virginum prudentum. Hæc magna veneratione colitur apud populos Ethruriæ, præſertim eo loco qui dicitur ; *Laſtra à ſigna*, vbi feſtus dies eius circa ſolemnitatem Dominicæ Reſurrectionis quotannis ſolemniter celebratur, & per Antonomaſiam ibi dicitur vulgari ſermone. *La Beata* ; Florentiæ autem appellatur cum addito, *La Beata da Signa*, ad diſtinctionem Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ apud ciues Florentinos vocabatur antonomaſticè hoc nomine, & vocatur vſque ad præſens, cùm enim ante Canonizzationem ſic diceretur, etiam poſtquam ei Sanctæ Titulum imperitiuit Eccleſia, ab inueterato vſu eam dixerunt,

Monumenta Eccleſiæ de Signa, & Arbor Vallumbroſana Aſcan. Tamburini.

xerunt, *La Beata*, Vt autem redeamus ad Beatam Ioannam, quod hæc fuerit Vallumbroſana, Authenticum habemus documentum ex ipſa Eccleſia de Signa, vbi in Habitu Vallumbroſano antiquis in Tabulis apparet depicta. Præterea ab antiquiſſima traditione eiuſdem loci, & Populorum, qui eam coluerunt, & colunt vti ſanctimonialem Ordinis Vallisumbroſæ.

XII.

Sanctus Ioannes Nobilis Florentinus ex ordine equeſtri in ætate iam adulta nuncium remittens ampliſſimis facultatibus ſuis, & Magiſtratus honoribus circa annum Domini 1350. Veſtimenta Oloſerica auro gemmiſque ornata permutauit in rudes lanas Monachi Vallumbroſani: Illis indutus totum ſe dedit Orationi, ac ſtudijs litterarum, in quibus adeò profecit, vt doctiores ſui temporis Vallumbroſanos in ſcientia, & feruentiores in ſpiritu coæquauerit; Ad Abbatialem dignitatem promotus Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis in Patria præficitur; At dum ſibi delatam præfecturam ſapienter admodum adminiſtrat, Hoſtis humani generis eius inuidens Sanctitati, & gloriæ, ferè inceſſanter non deſtitit illius tentare

Bolland. to. 11. cap. 50. Bernard. del Sera pag. 16. Eudox. Locatell. lib 2. cap 41. pag. 265. Arnold. Vuion in lign. Vitæ tom. 2 lib. 3. pag. 70.

con-

constantiam, precipuè frequentes preben-do occasiones comptarum mulierum, de quibus dicitur quòd apostatare faciunt sapientes, & in tantùm validissimo hoc armorum genere illum lacessiuit, vt aliquando defecerit Sanctus in tot reiteratis conflictibus, & semel ceciderit in materia lubrica: Ad sui iactantiam, & ad infamiam Ioannis deindè idem inimicus Tartareus nullum non mouit lapidem, vt lapsus iste cæteroqui occultus fieret notorius: sed comprehensus est Diabolus in astutia sua, nam accusatus Ioannes ad Generalem de lapsu, & à Generali verè punitus, suspensus ab officio, coniectus in vincula, & in obscurum Pitianæ Turris carcerem detrusus, de illo tetri carceris sinu quasi nouus Iona de Ventre Cæti clamauit ad Dominum contrito corde peccatum suum deflens amarè, & ex intensissimo dolore culpæ tantam promeruit superabundantiam gratiæ, vt gratia Diuina si plures annos ante lapsum in ipso abundare, post consequutam de lapsu veniam, & misericordiam, in eodem propèmodum triumphare videretur per institutionem videlicet vitæ Sanctioris, quàm ante lapsum instituerat. Quare Superiores

non modò ab inflictis pęnis eum abſoluerunt, ſed & in priſtinum honorem, & gradum Abbatis reſtituerunt. Ioannes verò animaduertens, quòd priuſquam humiliaretur deliquerat, gratias agens Generali de ſibi iterum delatis honoribus, vnicè ad eius genua prouolutus popoſcit, vt ſibi permitteret agere humilem & ſolitarium Eremitam in Eremitorio Cellarum apud Cœnobium Vallisumbroſæ, quod enixis tandem præcibus conſequutus, & in culmine eius Rupis collocatus in omni frigore & nuditate, in Vigilijs, & Ieiunijs multis verum Stylitam repreſentaſſe viſus eſt, de qua etiã rupe veluti è Cathedra Magiſter factus arctiſſimæ mortificationis, & perfectionis Euangelicæ non minus compunctionis ſtylo aſtantes, & circumquaque viciniores pupugit, quàm ſtylo ſuarum Epiſtolarum ſtimulauit abſentes ad mundi contemptum, & ad amorem Chriſti Crucifixi, plurimas enim ſcripſit Epiſtolas hortatorias ad varios conciues ſuos Florentinos in hac re, & ſingulares fuerunt illæ datæ ad quendam nomine Guidum de Guidis tunc temporis Reipublicæ Florentinæ Magiſtratum adminiſtrantem. Promiſcuæ etiam interceſſerunt litteræ inter Beatum

tum Ioannem nostrum, & Sanctam Catharinam Senensem, quæ post mortem ei apparuit, talis autem apparitio transcribitur è vita eiusdem Sanctæ Catharinæ ab Eudoxio Locatelli his verbis: *Vn Santissimo huomo nominato D. Giouanni delle Celle Monaco Vallombrosano antico piangendo la morte di questa Santissima Sposa di Christo da lei fù consolato, perciòche gl' apparue, e gli manifestò la sua gloria, come recita esso Padre Santo in vna lettera diretta à Barduccio Signore Fiorentino*. Nec aliorum Sanctorum præterijt consimiles fauores, & gratias, fuit enim præcipuè recreatus visione Sanctæ Domitillæ Virginis, & Martyris, quam specialiter habuit in aduocatam; Sed à visionibus Beatorum in via iam tempus aduenerat Beatificæ Visionis fruendæ in Patria, ad illam igitur vocatus est anno 1376. die 10. Martij, pro qua Martyrologium Benedictinum annunciat Festum eius dicens. *In Monasterio Vallisumbrosæ Sancti Ioannis ex Abbate Eremitæ miraculis clari*. Hæc annunciatio habetur immediatè post illam Beati Andreæ Parmensis, cuius festiuitas incidit in eundem diem.

XIII.

Annales & Kalendarium S.Sepulchri de Aſtino.
Vinea Bergomen. par.2. cap.3.

Ioannes Epiſcopus Negropontinus ex Monacho S.Sepulchri de Aſtino fuit aſſumptus ad illum Epiſcopatum circa annum Domini 1180. Cuius meminit Bartholomæus de Peregrinis in ſua Vinea, vbi loquens da Mauro Venerabili Abbate illius Monaſterij, & eum laudans à ſingulari diſciplina, ſub qua multi profecerunt, vnum ex eius diſcipulis notat præfatum Ioannem his verbis. *Sub diſciplina, & cuſtodia Venerandi Viri Mauri Abbatis multi Venerabiles Monachi Deo ſeruierunt die ac nocte, inter quos fuerunt hi duo Ciues Bergomenſes videlicet Guala, qui poſteà electus eſt Epiſcopus Bergomi, de quo ſupra, & Ioannes, qui electus fuit Præſul Negropontinus.*

XIV.

Italia Sacrà tom. 4.pag. 674.
Vinea Bergomen. par.1, cap. 33.

Ioannes Torniellus item Monachus præfatæ Abbatiæ Aſtinenſis defuncto Lanfranco Epiſcopo Bergomenſi ſuſcepit Epiſcopale onus illius Eccleſiæ, de quo Abbas Vghellus ſic ait: *Ioannes Torniellus Nouarienſis Monachus Sancti Sepulchri de Aſtino Ordinis Vallisumbroſæ proximè Lanfranco ſubrogatus eſt anno* 1210. Bartholomæus de Peregrinis addit, Ioannem celebraſſe Synodum

in

in Ecclesia Sancti Alexandri anno salutis 1214. multaque perutilia ibi constituisse, ædificasse Ecclesiam cum Monasterio Ordinis Humiliatorum extra muros Ciuitatis, & ijs temporibus accessisse ad eandem Vrbem Sanctissimos illos Viros Dominicum de Gusman, & Franciscum Assisinatem; Extat etiam memoria huius Episcopi in Archiuio Abbatiæ S. Sepulchri de Astino.

XV.

Archiuium S. Mercurialis de Foroliuio, & eius memoriæ præcipuè in lib. cui titulus, *il pesce*.

Ioannes Numalius, siue Nomaius Nobilis Foroliuiensis Sacræ Theologiæ Doctor Insignis dum esset Abbas Sancti Mercurialis, quæ celebris est Abbatia Monachorum Vallisumbrosæ apud Forum Liuij electus est à Bonifacio Papa IX. Episcopus illius Ciuitatis circa annum Domini 1402. vt clarè eruitur ex libris memoriarum Sancti Mercurialis, & præcipuè ex libro antiquissimo qui dicitur vulgariter, *il Pesce*. Vbi subditur, quòd in Episcopatu etiam retinuerit Abbatiam per Beneplacitum Apostolicum, creato quodam Ioanne Monacho in suum Vicarium, qui vices eius gereret in eodem Monasterio, & suo nomine regeret Monachos.

Vene-

XVI.

Venerabilis Ioannes Triuiolus Ciuis Bergomensis Monachus primùm, & Abbas Sancti Sepulchri de Astino, deindè Vigesimus secundus Generalis Ordinis Vallisumbrosæ reperitur inter alios viros illustres, quos memorat Bartholomæus de Peregrinis in hunc modum videlicet. *Laborauit etiam in hac vinea Bergomensi Reuerendus D. Ioannes huius nominis quartus Abbas Sancti Sepulchri Bergomensis de Triuiolo, qui cum iustissimè hanc Abbatiam tredecim annos gubernasset accidit, quòd Reuerendus D. Ruggerius Generalis Vallisumbrosæ ex hac vita migrauit, & ipse D. Ioannes per vitam Religiosam in Generalem electus, & per Sanctissimum Dominum Papam Ioannem XXII. Ciuem Bergomensem ex nobili Ossorum familia natum intronizzatus est, quam etiam Abbatiam Generalem dignissimè gubernauit annos quatuor, & obijt in Domino anno Christi 1524. die 4. Nouembris*. Quod totum confirmatur à Chronicis Bartholomæi de Ossa, & Eudoxio Locatelli, qui præcipuè Auctor vt vno periodo integram Panegerim diceret de hoc illustri Viro, hæc ait sua lingua materna. *Il Vigesimo secondo Generale di Vallombrosa fù vn Padre Lombardo della Città di Ber-*

Vinea Bergomen. par. 2. cap. 51. pag. 27.
Chronic. Bartholomæi de Ossa lib 16. cap. vltimo.

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 38. pag. 260.
Lignum Vitæ tom 1. lib. 1. cap. 34 cap. 55.

Bergamo, e della Famiglia Triuiolo chiamato Giouanni, il quale si come di nome era simile al nostro primo Padre San Giouanni Gualberto, così ingegnossi rassomigliarsi nell'opere. Nam similitudo hæc operum, & relatio cum Sancto Ioanne Gualberto constituit in Ioanne Triuiolo relationem etiam quasi Similis meriti, & in Cælo præmij.

XVII.

Ioannes Maria de Canigianis olim Dominicanæ Religionis Alumnus, & à confessionibus, siue confessarius Alphonsinæ Vrsinæ, quæ in matrimonium erat copulata cum magnifico Petro de Medices Fratre Germano Leonis Papæ X. propterea valdè commendatus apud hunc Pontificem, eo regnante in Vaticano translatus est ad Vallumbrosanos, & per Pontificium Diploma statim creatus Generalis Congregationis Vallisumbrosæ de anno 1515. & cum Generalitiam sedem vsque ad annos 1540. occupasset, varijs suo tempore excitatis in Religione Aedificijs, quæ tamen non perfecit; Tandem suadentibus Cardinali Ioanne Saluiato tunc Protectore, & Cardinali Nicolao de Rodulphis Viceprotectore Ordinis Vallisumbrosæ, ac efficaciter promouente

Eudox. Locatell lib. 2. cap. 53. pag. 309.
Arnoldus Vuion tom. 1. lib. 1. cap. 34. pag 55.

Cardinali Antonio Pucci tunc Epiſcopo Piſtorienſi, in Piſtorienſis Eccleſiæ ſuffraganeum eligitur cum titulo tamen Hipponenſis Eccleſiæ in Affrica, & Piſtorij tandem mortuus eſt: Ferunt autem, quòd Beata Catharina de Riccis ſanctimonialis Florentina ex Diuina reuelatione acceperit, eius animam eſſe in loco ſalutis æternæ.

XVIII.

Venerabilis Ioannes cognomento ſpigliatus de Puppio Generalis vigeſimus tertius ſecundùm ſeriem Generalium, ſed huius nominis quartus, ſuppreſſa iam Generalatus perpetuitate ex decreto Pauli Papæ tertij emanato ad preces Cardinalis Ioannis Saluiati Protectoris, qui nomine Religionis permotus prudentibus rationibus id poſtulauit, in communem Patrem electus eſt magno Monachorum applauſu apud Forum Liuij in Monaſterio Sancti Mercurialis, quo conuocatum fuit eo anno Capitulum, vt conſuleretur commoditati eiuſdem Cardinalis Protectoris degentis Ferrariæ in ſua Epiſcopali reſidentia, vt videlicet ex vicino faciliùs poſſet adeſſe actis Capitularibus. Adfuit igitur Benigniſſimus Protector, & magno repletus eſt gaudio cùm animaduertit

Archiuium Ripulenſ. & S. Mercurialis de Foroliuio. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 54. pag. 312. Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. cap. 35. pag. 56.

tit omnes Electores ire vnanimes in præfatam Electionem Abbatis Spigliati venerandi ſenis, vtpotè qui & morum integritate, & longa experientia à teneris annis quando in Religionem ingreſſus eſt vſque ad ſenilem ætatem ſibi comparata, omnibus alijs eſſet præferendus. Præferibilis ergo Prælatus meritò efficitur, & Vniuerſalis ſuperior totius Congregationis die 19. Aprilis anno 1494. Ipſe autem edoctus ab hiſtoſtoria illius militis nomine Alexandri iam militantis ſub Vexillis Macedonis, ſed à Macedonis robore, & virtute per ſuam ignauiam valdè difformis, cui proptereà exprobratum fuit, *Vel muta nomen, vel vt Alexandrum te gere;* Edoctus inquam quantùm dedeceret, ſi ad nomen, quod gerebat Sancti Ioannis Gualberti, conſimilia geſta non acceſſiſſent, hoc vnum habuit in votis, vt hæc accederent, & certè acceſſerunt, nam, teſte præ cæteris Locatello, Ioannes Spigliatus in operationibus ſuis, & modo regendi Religionem Sancti Ioannis Gualberti Veſtigijs propèmodum inhærere videbatur. Superuixit hic ad Generalatum, & licet obierit in longæua ſenectute Abbas Sancti Bartholomæi de Ripulis, tamen reliquit de-

ſiderium ſui, ſicuti poſt ſe reliquit ſamam Sanctitatis.

XIX.

Aſcan. Tamburini. Fragmenta Hiſtorica.

Ioannes Paulus Ordinis Valliſumbroſæ clari Academici, atque Oratoris inſignis laudes eſt aſſequutus in varijs Ethruriæ Academijs, cum certè in præcellenti gradu facultates ipſe politioris litteraturæ poſſideret, & Artis oratoriæ; Floruit circa finem ſexti Sæculi Noſtræ Religionis, vt habetur ex fragmentis hiſtoriarum Aſcanij Tamburini.

XX.

Arbor Vallumbroſana. Aſcan. Tamburini, & Tradiction. Antiquę Valliſumbroſæ.

Iulianus de Durazzinis Florentinus de Nobili admodum genere ortus, rem prius militarem ſequutus Ducem Exercitus, & quidem ſumma cum laude, & Reipublicæ Florentinæ vtilitate egit in Sæculo, ſed Cæleſti poſteà præuentus gratia, Chriſti Militiæ nomen dedit ſub Vexillo Crucis in Congregatione Vallumbroſana, vbi mutato obiecto ſui martialis ardoris vnicè exarſit ad debellanda vitia, & prauos animi appetitus; His breui tempore ſuperatis ad eum aſcendit perfectionis gradum, ex quo ſtare poſſet in Prototypum, & exemplar aliorum, & iam dignus eſſet, qui ſuper Candelabrum poneretur in Domo Dei; Poſitus

igitur

igitur ſuper Candelabrum in Officio Abbatis, Abbatiale munus admirabili prudentia adimpleuit, ſicut & admirabili ſolertia fæliciter obiuit omnia alia Religionis Miniſteria vltrò ei à ſuperioribus delata, Nec deſijt interea à Conſilijs eſſe Magiſtratus Florentini, apud quem eius conſilia tamquam reſponſa Oraculi recipiebantur. Floruit Quinto Sæculo Religionis.

XXI.

Iulianus Rillius Abbas natus in Puppio, quæ Metropolis eſt Cluſentini comitatus in Ethruria propè Sacrum Montem Aluerniæ, Magiſter Magiſtrorum dicebatur in Congregatione Vallumbroſana, & quidem iure meritò non ſolùm quia ipſe inter Magiſtros, ac Laureatos Doctores in Vniuerſitate Florentina extitit ſapientiſſimus, ſed quia eius Diſcipuli intra Clauſtra, quos in Paſſinianenſi Lyceo, vel Romæ in Collegio Sanctæ Praxedis erudiendos accepit, Magiſtri celeberrimi euaſerunt, inter eos autem Principem tenuere locum Reuerendiſſimi Patres D. Epiphanius Giorgi, de quo ſupra littera E. Et D. Rodulphus de Foraſaxis de quo littera R. poſt Elogium D. Rodulphi, duo Sydera, & quidem primæ

Archiuium Ripulenſe. Lib. Memoriàrum Vallisumbroſæ, Paſſiniani, S. Fidelis de Puppio S. Sepulchri de Aſtino S. Praxedis de Vrbe S. Mariæ de Aricia,

Magnitudinis hisce nostris temporibus Coeli Vallumbrosani; At vt redeamus ad Abbatem Rillium, hic plura scripsit, in specie verò elaborauit opus eruditissimum in senectute sua continens doctrinas Theologicas Scholasticas, Canonicas, & Morales super commenta Bullarum, & titulus eius est Bullarium Vallumbrosanum, quæ scripta in duos grandiores tomos distincta morte præuentus typis ipse mandare non potuit; Septuagenario tamen maior decessit anno Christi 1682. in Monasterio Vallisumbrosæ dum ibi moraretur absens à sua residentia Sanctæ Mariæ de Susinana, & cum primaria Religionis sustinuisset successiuè munia vno excepto Generalatu.

XXII.

Iustinianus de Marsilijs alter Passinianensis Academiæ Magister inter Vallumbrosanos celeberrimus, tanta claruit laude sapientiæ vt vel ipse regnasse in sapientiæ Domo, vel sapientia in ipso ædificasse sibi domum videretur. Apparet hoc euidenter à sapientissimis eius tractatibus tùm Philosophicis tùm Theologicis ad posteritatem transmissis, quos Monachi studiosi frequentius habent præmanibus, adeòut dici possint nocturna eos ver-

Lib. Memoriarum Passinianensis Abbatiæ, & passim Religionis.

versare manu, versare diurna, non sine magno lucro Doctrinæ. Decessit è Vita Iustinianus Marsilius quinquaginta circiter ab hinc annis, & quia viuentem impleuerat eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus, iam piè credendum, quod vestierit eumdem stola gloriæ morientem. Lugent tamen eius mortem Vallumbrosani Patres orbati tanto sapientiæ lumine, non secus ac lugerunt suum Aristotelem Peripatetici, suum Senecam Morigerati, suum Aristidem iusti, suum denique Mecenatem omnes sapientiæ candidati.

L

I.

Lignum Vitæ tom. 1. pag 59. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 23. pag. 221.

S. Lanfrancus Vir in primis doctus, & æquè altissimæ scientiæ, ac profundissimæ humilitatis cum vigilantiæ Pastorali per annos plurimos satisfecisset, & se prębuisset exemplum bonorum operum cum omnibus alijs dotibus requisitis à D. Paulo Apostolo in digno Pastore Animarum sub traxit suos humeros tandem ab Episcopali onere, & superinduit ad eos Habitum Monasticum Vallisumbrosæ, de quo Arnoldus Vuion sic: *S. Lanfrancus Papiensis, relicto Papiensi Episcopatu, Monachum induit Vallumbrosanum in Monasterio Sancti Sepulchri, quod ex eius nomine nunc Sancti Lanfranci nuncupatur*: Hæc est illa insignis Abbatia propè, & extra Papiam posita iuxta Tycinum fluuium quondam opulentissima, deindè per Sedem Apostolicam commendata paucos admodum potest substentare Monachos ad parcam mensam, quæ subministratur ab Abbatibus commendatarijs, qui plura scire desiderat de gestis, & virtutibus Sancti Lanfranci consulat vitam eius descriptam a Ber-

Bernardo Episcopo Papiensi, qui immediatè successit ei in illo Episcopatu, sicut & consulere poterit Eudoxium Locatellum, qui in suo Volumine loquitur aliquanto fusiùs de Sancto Lanfranco, hic solùm addidisse sufficiat, & innuisse diem Beatissimi obitus eius, quæ fuit vigesima tertia Iunij ann. 1176. Inter astantium Monachorum Choros, & Psallentium ad Beatum eius transitum.

II.

Lactantius Medolaghi Theologus celeberrimus sæculo proximè elapso publicè legit Sacram Theologiam in Vniuersitate Studij Papiensis, quæ inter Vniuersitates Italię est notissima, & magni nominis apud omnes. Plurimos edidit Lactantius Tractatus Theologicos, & specialitèr Theoremata super Magistrum sententiarum, vt ex eius operibus, quæ asseruantur in Monasterio Sancti Lanfranci iuxtà Papiam.

Lib. Memoriarum S. Lanfranci de Papia.
Archiuium Ripulense.

III.

Leo dictus est, qui primus ex Ordine Vallũbrosano in Pistoriensem Episcopum fuit electus, & probatur clarissimè à Lectionibus Officij S. Atthonis, in quo hæc habentur, lectione tertia Secundi Nocturni: *Fama autem sanctitatis*

eius

eius vbiq; diffusa à Pistoriensibus ex eadem Congregatione successiuè quartus Episcopus post Hildebrandum instantissimè deposcitur; Si ergo Sanctus Attho fuit quartus Episcopus ex Ordine Vallumbrosano assumptus ad Ecclesiam Pistoriensem, sequitur euidentèr, quòd iste Leo sit ex eodem Ordine, & quidem primus inter alios, nam immediatè ante Atthonem fuit Hildebrandus, ante Hildebrandum Petrus, vt videre est apud Vghellum, & ante Petrum fuit immediatè Leo, sic enim clarè habetur ex Cathalogo Episcoporum Pistoriensium in libro, cui titulus *La Pietà di Pistoia*, Nec est dicendum, quod Eruditissimus Cardinalis Bona earumdem Lectionum accuratus Reuisor, si in ijs esset error, errorem non aduertisset, & exponere voluisset ob oculos aliorum Cardinalium Sacræ Congregationis Rituum Historiam Apocripham, & illam postea Sacra Congregatio approbasset; Profectò iste Leo amantissimus fuit Sancti Ioannis Gualberti, & valdè beneficus erga Vallumbrosanos, qui ipsius ascribere debent presertim beneficentiæ Abbatiam Sancti Michaelis de Furcule, quam ibi Pistorij possident ab anno 1084. vt apertè testatur Michael

Italia Sacra Vghell. in Catalogo Episc. Pistoriens. Archiuium S. Michaelis de Furculi.

Salui

Salui in Hiſtorijs Piſtorienſium: Factum eſt autem, vt poſt ſex ſæcula alter huius nominis.

Leo Vallumbroſanus ad Piſtorienſem Epiſcopatum promoueretur, & quidem ſextus Ordinis Valliſumbroſæ, dummodò annumeremus pro quinto Ioannem Mariam de Canigianis, vt dictum eſt ſupra littera I. Hic autem ſexto loco poſitus eſt Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Leo Strozza Nobilis Florentinus, cuius nobilitas quanta ſit facilè intelliges, ſi vel ipſum dumtaxat cognomen aduertas. Hic à Mammis Nutricis, vix vt ità dicam, ablactatus oblatus Deo, recipitur educandus iuxta morem Regulæ Benedictinæ cum habitu Clericali in Tyrocinio Vallumbroſano Sanctiſſimæ Trinitatis Florentiæ, vbi Puerulus documenta ferens, qua eſſet ab origine natus, & diſcens à gentilitijs ſuis Lunis argentato lumine ſplendeſcere reſplenduit ex ingenuæ indolis candore, nec aliàs præterijt nobilis adoleſcentis dotes, ac proprietates, quibus digniſſimum ſe probauit, vt ad habitum Nouitiorum primùm, deindè ad profeſſionem ſolemnem admitteretur; qua emiſſa creſcens de die in diem in merito laudis, & virtutis creſcentes Stoziorum Lunas

Archiuium Ripulenſ. & Memoriæ paſſim Religionis & Eccleſiæ Piſtorienſis.

nas ob oculos omnium repręſentabat, vſquequò in virum perfectum efformatus, ipſam Lunam perfectam ſe ſe demonſtraret. A ſtudijs ſcientiarum, à Sacræ Theologiæ Doctoris Laurea, ab Examinatoris Synodalis munere, à Procuratoris Generalis Officio in Curia Florentina, & poſtmodum bis in Curia Romana, à Viſitatoris Generalis, & Prodefinitoris item Generalis gradibus honorificis, à proſicuis Abbatiarum administrationibus præcipuè Sancti Saluatoris de Vaiano, & Sanctiſſimæ Trinitatis Florentiæ, vndequaque conſpicuus, candidatus propterea dignioris in Eccleſia Prælaturæ extra Clauſtra, cùm ſecundò Procuratoris Generalis munus laudabiliter admodum exerceret Romæ, ad quem gradum hac ſecunda vice fuerat aſſumptus per Breue Pontificium Sanctiſſimæ Mundo Recordationis Innocentij Papæ XI. approbatus iam ob egregia ſua prærequiſita ad varios Eccleſiaſticæ Ditionis Epiſcopatus in Congregatione erecta ſuper eligendis Epiſcopis, tandem poſtulante Magno Ethruriæ Duce Coſma III. electus eſt ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo Modernus Paſtor Piſtorienſis Ouilis anno 1690. de Menſe Iunij,

nec

nec est exigua eius laus, quòd in illo Episcopatu subrogaretur ad Illustrissimum, ac Reuerendissimum Episcopum Gherardum de Gherardis, qui sicuti vixerat, sic paulò ante decesserat cum fama summæ integritatis, & spectatissimæ virtutis, pręcipuè cum Leonis Strozzę incorrupta iustitia, & recta viuendi ratio, ac sollicitudo Pastoralis officij ei persimilem indicent, quinimmò, & memoriam, quodammodò videatur excitare in se Petri, Hildebrandi, & ipsius Sancti Atthonis ex Congregatione Vallumbrosana prædecessorum suorum in ea Episcopali Sede, qui in Leone videntur reuixisse; At ęmulator in primis factus Leo noster alterius Leonis antiqui in amore singulari erga Religionem Vallisumbrosæ, & Vallumbrosanos Monachos, sicut illam non nisi dulcissimæ Matris suæ nomine appellare consueuit, sic istos vti verè Germanos Fratres fraterna charitate, vbique benignissimè complectitur; hos excipit hospitio; hos iuuat consilio, hos protegit auctoritate, hos fouet patrocinio, hos inuisendo personaliter de sua præsentia sępiùs consolatur, adeòut extrà claustra positum adhuc intrà Claustra illum extare diceres in

 sola-

ſolamen Vallumbroſanorum, & in beneficium Congregationis Vallisumbroſæ, quæ viciſſim propterea lętatur de tanto Filio non minùs ac nobiliſſima Stroziorum Familia lętetur de tanto Alumno, ex cuius ſplendore virtutum, & dignitatis tantùm luminis incrementum accepere Gentilitię Lunę.

IV.

S. Lætus Abbas, Sancti Ioannis Gualberti Diſcipulus, cui benè congruit nomen Læti cum lęto ſemper, & hilari eſſet aſpectu, totus ipſe ad hilaritatem compoſitus, & ad morum ſuauitatem, qua ſuauitatę morum, vera animorum magnete omnium ad ſe traxit amorem; Hinc omnibus gratus, & ſupra modum amabilis, plauſibiliter exercuit Religionis Prælaturas, & pręcipuè illam Paſſinianenſis Abbatiæ, in qua diutiùs eſt commoratus; Ibi aſſiſtens aliquandò Sanctiſſimo Patri Ioanni Gualberto iam morti proximo meruit videre ſub forma pulcherrimi Iuuenis Angelum eius Cuſtodem, & ex reuelatione diuina, vt ait Locatellus, intelligere nomen eiuſdem Angeli, ſcilicet quod vocaretur Benignus; Vltima verò dies mortalis vitæ Sancti Lęti Abbatis fuit 16. Martij anni 1083. quę tamen ei

Bolland. de Menſe Martij pag 416.

Ferrar. in ſuo Martyrologio pag. 113. Arnoldus Vuion in Martyrologio Benedictino pag 76.

ei initium fuit perennis Gloriæ. Audiamus Elogium Martyrologij Benedictini, pro eodem die annunciantis eius natale ad veram vitam sic: *Decimo septimo Kalend. Aprilis in Monasterio Vallisumbrosæ S. Læti Abbatis, & Discipuli S. Io: Gualberti, in cuius morte Angelum eius Custodem videre meruit.*

V.

Lucius Boetius, seu Boethius Romanus Monachus Vallisumbrosæ, vt habetur ex monumentis antiquissimis eiusdem Cœnobij, renunciatus est Cardinalis SS. Viti, & Modesti in Macello Martyrum ab Innocentio Papa II. anno 1134. Hæc sunt præcisa verba ad verbum transcripta hic ab Alphonso Ciacconio recenter in lucem denuò dato cum recognitione Augustini Oldoini eruditissimi, ac diligentissimi Scriptoris è Societate Iesu, & idipsum notatum reperies apud Ascanium Tamburinum in suo celeberrimo opere de Iure Abbatum.

Ciaccon. to. 1. pag. 990. Ascan. Tamburini tom. 1. de Iure Abb. disp. 2. quæst. 15. pag. 25.

VI.

Ludouicus Insuber clara de stirpe natus, quippè qui de nobilissima Familia apud Insubres dicta vulgari sermone *Della Scala*, traductis aliquot annis intra Claustra Vallisumbrosę, & Monasticam vitam professus inter Vallumbrosanos ab eis translatus est

Arbor Ascanij Tamburini, & Familiæ de Scala.

ad

ad Epiſcopalem Dignitatem electus Epiſcopus in Gallijs circa annum Domini 1480. vt conſtat ex hiſtorijs eiuſdem Nobiliſſimę Familiæ exiſtentibus apud Principes Mirandulæ præter aliàs traditiones, & memorias, quæ de ipſo habentur in Religione. Cùm autem Ludouicus de Scala, quaſi Myſtica Scala Iacob, per gradus Virtutis, & meriti in altum creſceret, tantùm creuit, vt tandem Cęlum pertingeret.

†

M

I.

MAlfridus Abbas Sancti Sepulchri de Astino relatus est à Bartholomęo de Peregrinis inter operarios illustres nationis Bergomensis in sua Vinea, ibi enim sic: *Dignissimè operatus est etiam per annos triginta in hac Vinea Reuerendus Malfridus Ciuis Bergomensis, & Abbas Abbatiæ Astinensis*, in cuius laudem posteà subiungit. *Residebat in hac dignissima Abbatia tunc quædam Monachorum Caterua sub Disciplina, & Obedientia D. Malfridi, quæ die, ac nocte Domino Psallebat deuotione magna; Ipse autem D. Malfridus Abbas post multas Sanctas operationes anno Christi* 1158. *Decimo quarto Kalendas Octobris spiritum reddidit Creatori suo*.

Vinea Bergomens. par. 2. cap. 22. Archiuium S.Sepulchri de Astino, & Ripulense.

II.

Venerabilis Marcus à Pelago cognomento Lauacchius, exhibet hic è Pelago suo plurimas virtutum suarum expiscandas Margaritas, quibus ornetur eius Elogium, & in primis occurrit Religiosa Pietas, qua primus semper adfuit Choro, & alijs Eccle-

sia-

ſiaſticis functionibus, & vltra horas canonicas de præcepto perſæpè recitauit integrum Pſalmiſtam, Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, Litanias cum precibus, Roſarium, & ſimilia. Accedit poſteà puritas Virginalis, qua nunquam toto vitę ſuę tempore à quoquam vel de ſibi inſeruientibus paſſus eſt tangi; quinimmò nec ſibi adeſſe cùm de ſero cubitum iret, vel de manè ſurgeret de cubili; Voluntaria Corporis maceratio, vel quotidianis ferè ieiunijs, vel in crebris flagellationibus aſſumpta: Miſericordia in Pauperes, quorum ſubleuandis miſerijs ea celeritate accurrere ſolebat, vt ne momentum quidem ſineret ad ianuam eos expectare eleemoſinam: Obſeruantia monaſtica, qua iuxta Regulam induſium ſuper nudo laneum ſemper geſtauit: Humilitas qua induſium ipſum ſuis manibus ſemper lauare conſueuit, etiam in vltima ſenectute, & inſuper per ſeipſum purgauit à munditijs cubicula ſua: Temperantia in Proſperis, Conſtantia in aduerſis, Maieſtas in vultu, gratia in geſtu, amabilitas in ſermone; Et quoad Litteraturam in omnibus ſcientijs fuit ipſe diſertus, vt benè probant Dialogi ab ipſo eruditiſſimè elucubrati: Omnibus

Archiuium Ripulen. & lib. Memoriarum S. Michaelis de Paſſiniano præcipuè lib. ſignat. F. pag. 60. 61. 78. & 128.

bus Abbatijs quibus præfuit, adeò profuit, vt poſſet ſtare in Prototypum omnibus poſteris proficua eius adminiſtratio. De anno 1595. vt obtemperaret Pontifici Clementi Octauo, Cardinali Iuſtiniano Protectori, & Patribus ſic Poſtulantibus Generalatum aſſumpſit, in quo ſublimi gradu magis enituit eius celſitudo virtutis, & abſoluto quatriennio ſupremi Regiminis, regendam ſuſcepit Paſſinianenſem Abbatiam, vbi tandem anno 1624. die 17. Iulij ſicuti illa ſtatua Nabucdonoſor, cecidit hæc virtutis excelſa Moles, non per lapidem ſciſſum de Monte, ſed per Petram inſertam in Viſſica, & cum ipſe deceſſerit in eo Verſiculo Pſalmi recitati ab aſtantibus: Me expectant iuſti donec retribuas mihi, iam creditur, ipſum inter iuſtos in Cælis lætari.

III.

Sancta Margarita Abbatiſſa, Conciuis, Diſcipula, & Imitatrix præcipua fuit Sanctæ Humilitatis, cui & in officio Abbatiſſæ, & Magiſtræ ſucceſſit reſpectu aliarum Sororum, & Monialium; Eius feſtiuitatem annuncians Martyrologium Benedictinum ſic ait: *Septimo Kalendas Septembris in Monaſterio Sancti Ioannis Euangeliſtæ depoſitio*

Sanctæ Margaritæ Virginis , & Abbatiſſæ Ordinis Valliſumbroſæ miraculis claræ . Miracula autem fuerunt patrata ex occaſione pręſertim conſtruendæ Fabricæ prædicti Monaſterij Sancti Ioannis Euangeliſtæ , cui operi ipſa ſpecialiter præerat ex commiſſione Sanctæ Humilitatis , cùm enim pluries defeciſſet pecunia pro denario diurno iuxta conuentionem factam cum operarijs , pauciſſimi nummi excreuerunt non ſemel in tantam quantitatem , quæ ſatis fuit ad mercedem ſoluendam : Fragmenta panis repoſiti in paruo Caniſtro ita aliquando apparuerunt multiplicata , vt cum Sanctimonialis Virgo per decem dies panem indè deſumpſiſſet ad alendos eoſdem operarios , iuxta nouas conuentiones factas de dando illis victum , & mercedem in Cibarijs , & potu loco pecuniæ tamen adhuc decimo die repertum eſt Caniſtrum plenum eodem numero fragmentorum , ac ſi numquam vel fruſtum panis ab eo deſumptum fuiſſet, Item vinum acidum , & nullius roboris aut ſaporis , quod ſpeciem vini mutauerat in valdè bonum pro ipſis laborantibus miraculosè conuertit , præterea cum Grammaticam , aut latinam linguam non didiciſſet

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 2. pag. 283.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 36. pag. 256.
Vita S. Margaritæ deſcripta à Io. Præſbytero.

Sacras

Sacras Scripturas, & earum ſenſus perfe-ctiſſimè intellexit; Frequentes habuit Viſiones Beatorum, & præcipuè Sancti Ioannis Euangeliſtæ, Demum ijs, & alijs donis cæleſtibus pretioſior reddita hæc Margarita dignè repoſita fuit inter alias gemmas Cæleſtis Ieruſalem, cuius portæ nitent Margaritis, id autem accidit anno Chriſti 1230. Conca verò gemmæ tam pretioſæ, hoc eſt corpus animæ tam Sanctæ collocata fuit in Monaſterio Sancti Saluij propè Magiſtram ſuam, & Conciuem digniſſimam Sanctam Humilitatem, apud quam ſimiliter veneratur.

IV.

Venerabilis Marinus Abbas, & Generalis Vndecimus Vallisumbroſæ aſſumpſit Generalatum vacatum per promotionem Ambroſij in Epiſcopum Florentinum, de quo ſupra littera A. Vir fuit apprimè doctus, & vtriuſque iuris præſertim conſultiſſimus, circa vero morum diſciplinam, ſi fidem, vt par eſt, præſtemus Hiſtorijs de ipſo loquentibus, non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret, & obſeruaret Leges Sanctiſſimi Inſtitutoris Ioannis Gualberti, & qui earumdem obſeruantiam à Monachis

Bernard. del Sera in Compendio ſuo pag. 8.

diligentiùs exigeret, dignus propterea, cui Beatissimus Institutor, & Pater peculiari Priuilegio benignitatis suæ morienti visibiliter adesset, & spiritum eius inter vlnas suas exciperet; expirauit autem spirante anno 1165. die 30. Decembris cum Regimen Congregationis tenuisset ab anno 1158.

Lign. Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 54.
Locatell. lib. 2. cap. 21. pag. 219.

V.

Martinus Longobardus ex Monacho Vallisumbrosæ creatus est Cardinalis Sancti Stephani in Cælio monte ab Innocentio Papa II. anno 1138. Sic præcisè refert Abbas Tamburinus, & firmat assertum ab Autenticis notitijs desumptis apud Archiuium Vallisumbrosæ: Ciacconius in Vita Innocentij II. dicit, hunc Martinum fuisse de stirpe clarissima nempè de nobilissima familia Cybo, quæ cum titulo supremi Dominij imperat in confinibus Liguriæ super Nobile Principatum Massæ, & Carrariæ, & licet Auctor posteà diuersimodè sentiat circa specialem Congregationem Monachorum quibus Martinus adhæserit, nam potius eum dicit Monachum Cisterciensem, fatetur tamen adesse scriptores, qui Vallumbrosanum affirment, & his me subscribere iuuat in præsenti, præcipuè cum ad

Abbas Tamburin. de Iure Abb. tom. 1. disp. 2. qu. 15. pag. 25.
Ciaccon. to. 1. pag. 990.

sit

ſit pro hac parte Teſtimonium tanti ſcriptoris, quantus eſt Abbas Tamburinus, quem certè non leui fundamento id affirmaſſe credendum eſt.

VI.

Venerabilis Martinus de Vrſis familia inter Bergomates valdè conſpicua & nobili, Monachus, & indè Generalis Decimus quartus Valliſumbroſæ, ad ſexdecim annos ipſam ſapientiſſimè gubernauit Monaſterijs eam augens, & redditibus. A Cæleſtino enim Papa III. obtinuit Abbatiam apud Gluſdinum Senenſis Territorij Sanctæ Mariæ de Syrena nuncupatum tunc temporis ſatis opulentam, & eius conceſſio reſpectiuè apparet in Breui dato ſub die 13. Ianuarij anno 1196. Poſteà verò ab Innocentio III. Obtinuit Monaſterium Sanctę Praxedis de Vrbe Domicilium olim Monachorum Sancti Baſilij per Benignitatem Siphredi Cardinalis, qui tunc habebat in titulum eam Eccleſiam, vt in Breui emanato ſub die 3. Iunij 1198. Ambo autem Pontifices in ſuis reſpectiuè Breuibus valdè commendant Martini vigilantiam, & vitæ integritatem, ex quo induci fatentur ad concedendas ei huiuſmodi Abbatias, ſperantes quippè

Vinea Bergomen part. 3. cap. 25.
Arnoldus Vuion tom. 1. lib. 1. cap. 34. pag. 54.
Del Sera pag. 9.
Eudox. Lucatell. lib. 2. cap 25. pag. 228.

pè ab eius regimine fore benè regendas, & Monachos in illis sub regulari disciplina benè instituendos, nec spes eos fallebat, nam Martinus Vrsi edoctus ab Vrsa modum lingendi Catulos suos quos peperit informes, vt conformes reddat figuræ generantium, non cessauit Ministerio linguæ hoc est, sermocinationis suæ spiritualis, quodammodo lingere Monachos filios suos, vt efformaret eos ad sanctitatem iuxta formam Antiquorum Patrum nostræ Congregationis, & præcipuè iuxta Ideam Sanctissimi Institutoris Ioannis Gualberti, quem Romam profectus vnà cum Gregorio Passinianensi Abbate referendum curauit inter Sanctos apud Cælestinum Papam III. Ipse autem Martinus Vrsi relatus in Cælum, de anno 1206. ibi non fabulosæ Vrsæ repræsentans Astrum fulget vt stella, & fulgebit in perpetuas æternitates.

VII.

Matthæus Ciuis Florentinus, & Monachus Vallumbrosanus de Collegio Monasterij Passinianensis, electus fuit Abbas Sancti Sepulchri de Astino à Ioanne Papa XXII. & vt erat vir doctus, ac pius, & magno zelo præditus erga aliorum etiam salutem mul-

multùm in hoc opere, quòd omnium Diuinorum diuiniſſimum appellatur à Diuo Dionyſio, cooperatus eſt Deo in Ciuitate Bergomenſi pro ſalute Bergomenſium Populorum; Vnde meritò à Bartholomæo de Peregrinis recenſetur inter Illuſtres Operarios Euangelicos ſuæ Vineæ: His Operarijs Bergomi multiplicatis ab eius exemplo miſſus eſt Matthæus ad aliam meſſem, in qua fortè Operarij erant pauci, translatus eſt enim à Monaſterio Sancti Sepulchri de Aſtino ad Monaſterium Sancti Lanfranci de Papia, de quo etiam Euangelico campo colligens manipulos illius frumenti electi reponendi in horrea magni Patris familias, ipſe apparuit in omni loco Euangelicus Meſſor: Imò ferè alter, vt ità dixerim, Euangeliſta Matthæus, cuius nomen geſtabat. Obijt apud Papiam in ſupradicto Monaſterio Sancti Lanfranci ann. 1336.

Vinea Bergomenſ. par. 2. cap 54.

Lib. Memoriarum Sancti Sepulchri de Aſtino, & Sancti Lanfranci de Papia.

VIII.

Matthęus de Griphonibus à Puppio, Monachus Valliſumbroſæ expreſsè profeſſus, cuius profeſſionis emiſſæ, clarum habemus documentum in antiquiſſimo libro exiſtente apud Vallemumbroſam, cui titulus *Memoriæ omnium Monachorum Profeſſorum Congrega-*

gregationis, vbi dicitur sic: *Matthæus Francisci de Puppio fecit Professionem in manibus Reuerendissimi D. Blasij Generalis die* 17. *Augusti* 1505. *in Monasterio Vallisumbrosæ coram nonnullis Abbatibus, Monachis, & Conuersis Rogatus Sebastianus Caroli de Florentiola*, & quia subduntur paulò post hæc verba: *Fuit hic Episcopus Triuenti*. Clarè constat, quòd hic fuit ille idem Matthæus de Griphonibus notatus ab Vghello inter Triuentinos Episcopos, qui Romæ fundamenta iecit Familiæ suæ sub Pontificatu Clementis Papæ Septimi, accersito ab Ethruria Carolo Nepote suo, cui diues hæreditas obuenit posteà decessu eiusdem Episcopi in Vrbe sequuto circa annos 1567. ætatis 80. de Mense Aprilis, vt videre est in Epigraphe Sepulchrali apposita ad eius tumulum in Sacello Familiæ Griphoniæ, quod fuit decenter extructum, & ornatum ab ipso Matthæo Episcopo, cum esset in humanis. De modo autem, quo Matthæus ipse ad Episcopatum fuerit assumptus, sic res gesta narratur. Præerat ille Abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis in Alpibus in officio superioris (tunc enim ibi degebant Monachi) cùm fortè illàc transijt nobilis quidam vir Hispanus

Archiuium Vallisumbrosæ.
Italia Sacra tom. 2. in append. pag. 1079.
Arbor Vallumbrosana.
A scan. Tamburini.

nus

nus de armorum conflictu nuper egressus, & profugus per illos montium recessus quęrens Asilum saluti suæ, & opportunum ratus inuenisse in eo Monasterio, ibi petijt occultus hospitari, benigneque statim exceptus à nostro Abbate de Griphonibus, apud ipsum aliquot Menses diuersatus est, expertus in dies in se humaniora semper argumenta inceptæ hospitalitatis, Rebus demum inter Italos, & Imperatoris Milites compositis cogitare cæpit Hispanus Dux de discessu ab eo loco Romam ad Pontificem Clementem VII. profecturus, & antequam discederet ducentos nummos aureos numerauit Abbati pro expensis supradictæ hospitalitatis sibi præstitæ. At recusauit numeratam pecuniam Generosus Abbas protestatus se gratis omnino illi hospitium dedisse, gratis mensam, & conuictum, & omni argento, & auro, ac gemmis existimare pretiosiorem sortem sibi oblatam, qua potuisset ipse inseruire tam digno Hospiti, & tam emerito Duci: Instabat attamen nobilis Dux vt Abbas dignaretur accipere ducentos denarios, sed recusabat amplius iste, itaut in longum satis protraheretur litigiosa altercatio; Tandem animaduertens

Hiberus Eques constantiam Abbatis vincere non posse, sic eum est alloqutus: Duo tibi proponam Abbas benignissimè, vel accipe crumenam istam antequam hinc discedam, vel me discedentem comitare; Alterum ex his eligas oportet, si me volueris in amicum; Abbas autem ad hæc Verba tanto cum ardore prolata parumper suspensus, cum ex vna parte à proposito recusandi pecuniam nollet recedere, alteri parti adhæsit, & nactus hinc occasionem opportunam inuisendi Limina Apostolorum, & alia Vrbis Sanctuaria vrbanitati cessit inuitantis, & comitem sese præbens in itinere, respondit hilari vultu sequar te Domine quocunque ieris, & sic eum comitatus est Romam vsque, terminum pro tunc itineris eius, nesciens cæteroqui Matthæus Abbas quid ibi esset facturus Hispanus Eques; Hic verò vbi Romam peruenit Pontificem adijt, cui inter cætera narrauit, quid sibi contigerat in desertis Alpium Montibus, in quibus videlicet peregrinans inuenerat Abbatē quendam Vallumbrosanum Matthæum de Griphonibus nomine, Virum pium, & verè Religiosum, & Christiana charitate præditum, vtpotè qui post aurum non abiens,

ex ſolo motiuo charitatis exciperet hoſpitio aduenas, & peregrinos illac tranſeuntes ſicut ipſum exceperat nullam omnino acceptans retributionem in pecunia, etiam ſpontè, & enixis precibus ei oblata, deberi tamen ex hoc ipſo & præmium maius eximiæ virtuti eius, & quia ſatis non eſſet ipſe ad condignam remunerationem, deprecabatur Sanctitatem ſuam, vt ipſa dignaretur de aliqua dignitate Eccleſiaſtica illum remunerari; Annuit Benigniſſimus Pontifex, & ad iuſtas preces Hiſpani Ducis repreſentantis merita Abbatis Matthæi de Griphonibus ad Infulas Epiſcopales eum deſtinauit, & vacantis tunc Eccleſiæ Triuentinæ Epiſcopum renunciauit: Qui plura ſcire deſiderat de hoc Epiſcopo, & eius familia perlegat librum hiſtoricum cui titulus, *Le glorie del Cluſentino*, editum à Ioſepho Scipionis Mannucci de Puppio, qui fusè in hac re.

IX.

Venerabilis Mathias Paſſantes apud Barberinum celebre oppidum in Ethruria circa Regionem Mugelli honeſtis natus parentibus, & ab illis adhuc puer oblatus Deo ſub Diſciplina Monachorum Valliſumbroſæ ibi

tantùm breui profecit, vt admirationi esset Venerabilioribus Patribus Religionis, qui veluti Regularis obseruantiæ, & morum Ideam, ac exemplar illum cæteris Adolescentibus ad imitandũ proponebant; Quare si Genitrix in sæculo pepererat in corpore tenerum infantem, Noua Mater Religio efformasse eum videbatur iam vel in ipso tyrocinio robustum in spiritu Gigantem, qui nimirum stare posset intrepidus contra diabolicos incursus, & nihil expauescere in Via Dei Dęmonis Artes, terrores, minas, & insidias; Edoctus autem ab Euangelico textu, in Oratione præsertim, & Ieiunio eijci Dæmonia, ad hæc arma confugit, vt à suo aspectu eijceret, & fugaret hostes Tartareos, quos cæteroqui ad instar ferè Exempli Magni Antonij Abbatis experiebatur infestissimos. Accidit aliquando, vt de licentia superiorum Mathias adhuc iunior vix emissa professione instituerit per quadragesimam Ieiunium valde singulare, & rigidum, hoc est cum sola refectione Panis, & Aquæ in cubiculo reclusus lectioni Piorum librorum, & Meditationibus assiduè occupatus. Cùm quadam die ecce magnus auditur strepitus ad Cellam eius veluti tonitrui magni vel quasi

Archiuium, & Memoriæ Archicęnobij Vallis Vmbrosæ.

ſi tormenti bellici emittentis bombos. Accurrerunt Patres Cœnobij Vallisumbroſę trementes, & pauidi de tam ingenti, & improuiſo fragore, ſolus Mathias imperterritus extabat, qui propiùs ſenſerat tonitru, nam oratione, & ieiunio munitus irridebat illos, quos Dęmonum nouerat terrores, & eorum ictus deludebat inanes, & ne Dæmones ipſi imputarent ei ad timorem, quod viueret in medio aliorum Monachorum quaſi ab eorum Societate animum ſumeret, & vires ſibi pararet ad pugnandum, iam factus adultus, & Sacerdos petijt anno ætatis ſuæ trigeſimo ab alijs ſegregari, & ſolitariam Vitam ducere in Eremitorio Cellarum, & ibi ad ſingulare certamen hoſtem expectare, & ad luctam, nec raro euenit huiuſmodi cum Diabolo colluctatio; ſed quid potuit Diabolus luctando contra nudum, quinon habuerat vnde teneretur? Spoliauerat enim ſe Matthias omnibus huius vitæ non modo rebus, & facultatibus, ſed & deſiderijs, & affectibus. Non habuit ergo tartareus luctator vndè Matthiam apprehenderet, nam hic omnia indumenta abiecerat, ne ſuccumberet; & ſic in Paleſtra ſemper Victor apparuit, gratum factus ſpecta-

culum

culum ſin minus hominibus illud in terra non videntibus, certè Deo, & Angelis, ac Beatis de Cęlo ſpectantibus. Sed iam me vocat ad aliud ſpectaculum eius eximia charitas, quæ ad tantam excreuit menſuram, vt maior non potuerit haberi, nam ſi iuxta Euangelicum Verbum, maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, id propemodum præſtitit Matthias noſter, vt enim ex impulſu ardentiſſimæ charitatis ſuę, opem ferret periclitanti Monacho, & de ſupercilio montis fortuitò in profundum Vallis iam ruenti, dum verè Monachus Paſſantis ope adiutus ad Arbuſtulum quoddam, ibi de vicino repertum brachia extendere potuit, manibus illud attrectare, & ita imminens periculum euaderè, ipſe interea Mathias non valens præ lubricitate glaciei cohibęre greſſus, aut pedes firmare, vel manuum miniſterio aliqua ex parte ſeſe continere de repente dilabitur præceps in altiſſimam illam foueam niuibus, & glacie hyemali tempore redundantem, ibique pro exercitio pietatis victima charitatis emoritur. Sed neque putes ibi charitatem eius eſſe extinctam, nam aquæ illæ multæ in-

niues congelatæ, & in glaciem non potuerunt exſtinguere charitatem, ſed hæc detendente ad proximum propter Deum, vnicè tunc, & directè magis tetendit in Deum ipſum ſummè dilectum per actus feruentiſſimę dilectionis. Vndè ſicuti pro actu fraternæ charitatis cecidit corpus eius ad ima profundę Vallis, ſic in flamma Diuini Amoris aſcendit eius anima adſublimem Verticem Cæleſtis Empirei. Delato Nuncio talis euentus ad Patres Cęnobij Valliſumbroſæ proceſſionaliter illi acceſſerunt ad locum, & indè extractum reuerenter Cadauer deportarunt ad Eccleſiam, ibique peracto iuxta morem funere ſepeliendum curarunt apud alios Venerabiles Patres, qui anteà vixerant in eo Cœnobio, vel in Eremitorio Cellarum cum odore ſanctitatis facientes interea Viri timorati plantum magnum ſuper eum. Ad eius autem Tumulum hoc adeſt Epitaphium inſcriptum à D. Hyppolito Cerbonio tunc Magiſtro Monachorum Valliſumbroſæ, & Confeſſario eiuſdem Venerabilis Viri D. Matihæ de Paſſantis.

IESVS

IESVS MARIA.

Hic iacet
D. Mathias de Passantis Mugellensis Sacræ
Cellarum
Eremi verè Anachorita
Qui
Optimæ spei, Vitæque probitate clarus
Continẽtia singulari, & morũ integritate conspicuus
Religiosa quadam affabilitate, ac deuotione coruscus
Omnibus, & singulis Congregationis Vallisumbrosæ
Charus
Ætatis suæ 45. annum agens
Obijt die 28. Ianuarij anno salutis 1614.
Tempore Reuerendissimi D. Thesauri Veli
à Florentia
Cõgregationis Vallisumbrosę Pręsidis Generalis, ac
D. Alphonsi Portæ Vercellensis huius Sacri
Cœnobij Abbatis
Probenemeriti
Vixit in Sacra Callarum Eremo annis 15.
Mensibus octo
RR. huius Cœnobij Monachi.

X.

Maurus Nobilis Veronensis Monachus Vallis-

Vallisumbrosæ, & Abbas primùm Sanctissimæ Trinitatis in Patria, hoc est Veronæ, deindè Bergomi Abbas Sancti Sepulchri de Astino inter Scriptores Vallumbrosanos illustris admodum fuit, scripsit librum de Angelis, & alium de Pęnis Purgatorij vtrumque opus doctrinale ac scietificum, ipse verò non solùm scientiæ speculatiuæ Magisterio claruit, sed, & moralis Philosophiæ, ac Theologiæ Mysticæ, in qua professione Discipulos habuit valdè conspicuos, & præ cęteris ipsum Beatum Gualam Episcopum Bergomensem; Benemeritus tandem de Angelicis Hyerarchijs, de quibus tam benè scripserat, transijt ad consortia Angelorum anno 1185. die 10. Februarij.

Vinea Bergomensis par. 2 cap. 32.
Libr. Memoriarũ S. Sepulchri de Astino.

XI.

Venerabilis Maurus Alter huius nominis Monachus Vallisumbrosæ sed Natione Florentinus Euangelicæ prædicationis munere celeberrimus circa finem quinti Sæculi Religionis nostræ Auditus est quasi tuba exaltans vocem suam tùm intra confines Italię, tùm in Insulis adiacentibus presertim in Sardinia, vbi quantùm pro animabus Deo lucrandis insudauerit ex hoc intelliges, quòd Sardiniæ Apostolus sit appellatus, illuc autem

Ioãnnes Calleritanus in suo opere historico de Viris conspicuis Sardiniæ.
Archiuium Vallisumbrosę & S. Praxedis de Vrbe.

missus fuit Maurus à Generali Blasio de Milanesijs ne dum cum titulo Missionarij Apostolici ad Verbum Dei disseminandum, sed etiam cum Titulo Visitatoris pręcipui ad eas Abbatias quas in eadem Insula possidebat olim Vallumbrosana Religio, & posteà defleuit expoliatas à Saracenis, & ab eorum incursionibus omnino destructas, & desolatas, vt videlicet, si fieri posset iterum instaurarentur pro noua introductione Monachorum: Litteræ patentes ad eum datæ super hac re asseruantur adhuc in antiqua Pergamena apud Archiuium Sanctæ Praxedis de Vrbe, & hic exponimus ad Verbum transcriptas.

Blasius
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Abbas
Sanctæ Mariæ de Valle-vmbrosa
Ac totius Ordinis Generalis
Dilecto in Christo Filio D. Mauro
de Florentia Nostræ
Religionis Monacho salutem in Domino
sempiternam.

In Insula Sardiniæ à Saracenis, & alijs Iesu Christi Hostibus multoties inuasa, & occu-

occupata fuit, ac demum circa annum Domini 1300. Vnde Monaſteria, & Eremitoria Noſtræ Religionis, quæ illic conſtructa erant, funditus ferè euerſa fuerunt: Abbates etiam, & Monachi pro Chriſti fide martyrio ſunt coronati, quæ loca Sacroſancta & præſertim Monaſterium de Pleiano, & Saluenero, de Sede, & de Nurra Abbate & Monachis, & Eremitis deſtituta hucuſque permanſere, quare Anteceſſores noſtri cupientes, vt dicta Monaſteria, & loca vbi tot Sancti Patres tantis abſtinentijs vitam duxerunt, ac tantis Miraculis floruerunt, reædificarentur, & Abbates Auctoritate Apoſtolica ibi iterum conſtituerentur pluries aliquot Monachos miſerunt, qui dicta loca Religionis noſtræ recognoſcerent, inſpicerent, atque conſiderarent ſi fortè aliquo modo in priſtinum reſtitui poſſent, ſed humani generis hoſtes verentes, ne antiqua Sanctitas illis in locis iterum reduceretur ſemper impedimenta huic ſalubri operi opponere conati ſunt, nam qui illuc ſunt miſſi vel antequam diſcederent infirmitate aliqua ſunt correpti, vel maris periculo deterriti, & aliquoties ſubmerſi, vel cum illuc perueniſſent Aëris illius iniqua condi-

 ditio-

ditione interempti sunt, vel impedimento aliquo alio retardati, adeoque eorum tam Sanctum, ac pium desiderium exequtioni demandare non potuerunt.

Nos verò qui Sancti Patris vices etiam licet indigni gerimus eiusdem pij operis desiderio flagrantes Fraternitati tuæ auctoritate, qua Deo dante, fungimur præcipimus, vt ad dictam Insulam Nauiges, & loca Nostri Ordinis diligenter inquiras, & recognoscas si fortè aliquis possit inueniri modus, quo dicta loca reparentur, ita vt iterum Apostolica Auctoritate Abbates, & Monachi ibi deputari valeant, quod quàm primum ad nos significare procures. Vade in nomine Domini, & SS. PP. nostrorum Benedicti, & Ioannis Gualberti merita & intercessio illuc sanum atque incolumen ducant. Datum in nostro Vallisumbrosæ Coenobio die 14. mensis Maij anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi 1513.

Abbas Blasius Generalis
Don Placidus Saluiati Proscriba

XII.

Maximus de Castro percelebris Medici Flo-

Florentini Filius viuacitate ingenij, promptitudine ſermonis, fæcunditate memoriæ hiſce temporibus nulli Vallumbroſanorum viſus eſt eſſe ſecundus, & quanta polleret in primis fælicitate potentiæ memoratiuę indè clarum habemus experimẽtum, quòd cùm adhuc Nouitius in Tyrocinio Sanctiſſimæ Trinitatis Florentiæ degeret, & inter eruditiſſimos illius Ciuitatis Academicos proponeretur ad recreationem quandam Academiæ Recitatio omnium Prouerbiorum Florentinorum facianda memoriter ab aliquo ex conciuibus Florentinis, cæteris declinantibus aſſumere tam arduam Prouinciam, Inuentus eſt noſter Iuuenis D. Maximus, qui ſibi per D. Franciſcum Domninum tunc Nouitiorum Magiſtrum delata in paginis ſcripta Dicteria licet ferè innumerabilia, & diſparata, tam facilè mandauit memoriæ, & mox expeditè recitauit, vt attonita remaneret Sapientum Corona, & quotquot conuenerant ad ſpectaculum, neque deperdit vnquam huiuſmodi Fælicitatem memoriæ in maiori ætate, nam Euangelicæ prædicationis miniſterio addictus, dum recurrente quadrageſimali tempore per Vrbes Italiæ quotannis ad concio-

Lib. Memoriarum S. Mercurial. de Foroliuio, & paſſim Religionis Vallis Vmbroſæ.

cionandum mittitur, non nisi cum admiratione audita est eius in dicendo expedita facundia. Accidit præcipuè dum concionaretur Bononiæ, vt quadam die antequam dicere inciperet, triplex proposuerit Auditoribus Theorema diuersum, data eis optione eligendi super quam ex tribus propositis materijs specialter vellent ab ipso institui sermonem, electa igitur ab Auditoribus materia, tam promptè, & fæliciter ex improuiso super illam perorauit, vt melius non perorasset Cicero. Facultatibus speculatiuis admodum ornatus, earum exercuit magisterium, præsertim Foroliuij in Abbatia Sancti Mercurialis, vbi plurimum degit, & interea, vt erat naturali quodem præditus Mercurio non minus in loquendo, quàm in agendo promptus, & vt ita dixerim ad omnia factus, omnium potitus amore ac beneuolentia, per totam Aemiliam & finitimas illas Regiones cuncta ferè suo arbitrio moderabatur, Intercessor Vniuersalis & quidem efficax semper expertus apud Eminentissimos successiuè Cardinales Legatos non solùm Rauennæ, sed & Vrbini, Ferrariæ, & Bononiæ, & apud Episcopos, Gubernatores, & Magistratus illarum re-

spe-

ſpectiuè Ciuitatum, & Prouinciarum, quibus vniuerſaliter fuit ſummoperè gratus, & acceptus. Regnante Clemente IX. per Breue Apoſtolicum Creatus eſt Abbas Titularis Sanctæ Mariæ de Flumana, deindè non multò poſt à Generali, & Definitoribus fuit electus Abbas de Gubernio, & quidem de ſexto gradu. At dum gubernaret Florentiæ Abbatiam ſatis conſpicuam Sancti Pancratij, Menſe Auguſti anno 1675. incidit in febrim, quæ ſtatim conuerſa eſt in putridam, vnde vi morbi oppreſſus tertio à decubitus die occubuit in ſupradicto Monaſterio.

XIII.

Beatus Melior Laicus humilis, & ſimplex, columbina prorſus pollens ſimplicitate prius aliquando cœnobiticè vixit cum alijs Monachis, & Conuerſis fratribus in Cænobio Vallisumbroſæ; Deindè à ſpiritu maioris ſolitudinis ductus Eremiticam vitam aggreſſus eſt, in eo loco, qui vulgari ſermone dicitur *il Maſſo delle Celle*. In cauerna igitur Maceriæ ſcilicet illius aſperrimæ Rupis Euangelica iſta Columba diù Domino ſuo nidificauit, & quidem cum fæcunditate maxima ſanctarum operationum,

Bolland to. 3. fol. 607.
Siluan. Razzi in Sanct. Ethruriæ.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 7.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 28. pag. 218.
Martyrolog. Benedictinum Arnold. Vuion pag. 118.

Alis

Alis Sanctæ Contemplationis frequenter ſpiritum emittebat in Cælum , dum corpus aliundè multùm affligebat in terris . Latex hauſtum , Oluſcula tenue Paſculum illi dabant , Brumali tempore quando niuibus, & glacie montes circumquaque Vallisſumbroſæ cooperiebantur , vna ipſe , & ſatis leui cooperiebatur tunica ad experiendam in ſe præ intenſiori frigore veram ſemper ſtupiditatem membrorum , inedia prætereà , & vigilijs , ac alijs carnis macerationibus adeò conſumptus apparuit, vt ſpiritu viuens quemadmodum fertur de Sancto Baſilio Magno, prẹter oſſa , & pellem , nulla prætereà corporis parte conſtare videretur ; Obijt in ſuo Nidulo anno Domini 1158. die 26. Martij , ſeu potius in Nidulo ſuo de Columba in Fænicem mutatus veluti noua Fænix ad meliorem vitam reuixit : Campanæ Vallisſumbroſæ ad eius obitum ſpontè ſonarunt ; Neque ceſſarunt à prodigioſo huiuſmodi ſonitu donec corpus demandatum fuerit ſepulturæ . Martyrologium Benedictinum ſic annunciat eius feſtum. *Septimo Kalendas Aprilis in Monaſterio Vallisſumbroſæ Beati Melioris Eremitæ , in cuius morte multa diuinitus patrata dicuntur .*

Beatus

XIV.

Beatus Michaël Generalis Vigeſimus quartus Congregationis Vallisumbroſæ Cunas habuit Aretij in Tuſcia nobilibus ibi natus parentibus; Diuina eum præueniente gratia adhuc Puerulus ſe Deo dicauit in Religione Vallumbroſana, vbi ſicut ætate, ita & virtute creſcebat in dies apud Deum & homines, & præcipuè à manſuetudine, & miſericordia fuit apprimè clarus, factus adultus, & maturior pro ſolitaria peragenda Vita, quam vnicè ſemper habuit in votis, Eremitorium ſæpiùs memoratum vulgariter dictum, *il Maſſo delle Celle*, à Superioribus impetrauit, ibique lectioni piorum librorum, & preſertim Sacrę Scripturæ, ac Diuinarum rerum contemplationi vacans, nec non Ieiunijs, Vigilijs, alijſque corporis macerationibus diù in eo vitę genere ſegregatus ab alijs permanſit, donec defuncto Benedicto huius nominis primo, & in ſerie Generalium Generali Vigeſimo tertio Ordinis ad Paſtoralem ſollicitudinem in defuncti locum ab omnibus Patribus vocatur; & inſtantiſſimè depoſcitur, ipſe autem recuſauit in multis tale onus, at dum conſtanter recuſat iſte, non mi-

Bernàrd. del Serà pag. 14. Eudox. Locatell lib 2. cap. 40. pag. 263. Lignum Vitæ tom 2. lib. 3. pag. 276. Archiuia Religionis.

nori constantia deprecantur illi , vt ipsorum regimen dignaretur accipere , afferentes in medium super hac re varias rationes , & motiua validissima , nimirum non tantùm sibi natum esse hominem , sed & vtilitati aliorum , omnium Diuinorum diuinissimum esse iuxta sententiam Dyonisij Areopagitæ cooperari Deo in salutem animarum , nec maiorem hac dilectionem ostendi posse erga Deum ipsum , cum Dominus Petro dixerit , Petre amas me ? pasce Agnos meos, pasce oues meas : Tandem his , & alijs huiusmodi argumentis deuictus Michael assensum Electoribus præbuit , & Electioni , & ad Religionis moderandas habenas manum admouit , sed in eo Curru nihil Elatus pristinam humilitatem , & mansuetudinem perpetuò coluit ; Circa modum Regiminis exemplo sibi antè oculos proposito Sanctissimi Institutoris Ioannis Gualberti , ad formam talis exemplaris sese componere studuit , vnde non mirum si ab eius Regimine floruerunt in Religione cum Disciplina Monastica omnia germina virtutum . Denique cum ad multos annos Religionem Sanctissimè rexisset obdormiuit in Domi-

no anno ſalutis 1370. Cuius natalem diem annunciat Martyrologium Benedictinum hoc pacto. *Decimo tertio Kalendas Septembris in Monaſterio Valliſumbroſæ Sancti Michaelis Abbatis, & Generalis vigeſimi quarti Ordinis ex cuius corpore odor ſuauiſſimus ſpirabat*; Hic eſt ille odor Sanctitatis, qui licet de ſe ſpiritualis quandoque etiam ex diſpenſatione Diuina fit ſenſibilis ad naturalem Narium Olphatum pro maiori gloria animarum Sanctarum: Caput Beati Michaelis in ipſa Eccleſia, ſeu Oratorio Cellarum, vbi Eremiticam vitam duxerat decenti honore aſſeruatur; Reliquum corporis iacet apud alios Beatos Ordinis in Cœnobio Valliſumbroſæ apud Sacram Turrim.

XV.

Michael Angelus Chellius olim Abbas Sanctæ Praxedis de Vrbe Vir ſtudioſus, & in Sacris Litteris admodum verſatus inter Scriptores Vallumbroſanos aſcribitur, & quidem non vulgaris notæ, ſcripſit enim librum, cui titulus Kalendarium Eccleſiaſticum, & Hiſtorias Florentinas ſui temporis, quæ aſſeruantur in Bibliotheca Magni Ducis Ethruriæ apud Eccleſiam Ducalem Sancti Laurentij,

Eudox. Locatell. in vita Generalis Carducci cap. 62. circa finem.

Archiuium Ripulenſe. & memoriæ S. Praxedis de Vrbe.

rentij; Moribus fuit planè Religiosis, & Deiparæ Virginis cultui apprimè addictus, in quo Hyperduliæ laudabili perseuerans exercitio vsque ad senectam, & senium in plenitudine dierum anno ætatis suæ 83. de Mense Februarij migrauit in Passinianensi Cœnobio cum esset Abbas Titularis de Bibona tempore Pij Papæ V. Pontificatus eius anno 11. Nostræ vero salutis anno 1563. Cuius animam in hora mortis Maria Mater gratiæ mater Misericordiæ piè creditur suscepisse monstrans se esse Matrem erga deuotum filium.

XVI.

Memoriæ Hospitalis S. Mariæ Nouæ Florentiæ. Arbor Vallumbrasana Ascan. Tamburini.

Michael Angelus Massi circa finem quinti Sæculi Religionis resplenduit inter vmbras Vmbrosæ Vallis ab illustri Officio, & honorifico sibi concredito munere regendi Archiospitale Sanctæ Mariæ Nouæ, quo Florentiæ non habetur insignius, comparatur enim cum eo, quod Romæ reliquis omnibus præstat Hospitalibus, & dicisur Sancti Spiritus in Sassia: Quàm benè autem Massius noster Pium illum locum administrauerit vir Pietate Christiana spectatus, in scientijs eruditus, & in facultate œcono-

no-

nomica ad miraculum excultus vix enarrari, vix intelligi poteſt. Vnico tamen Verbo innuere conabor omnia, dicendo, Probaticam illam habuiſſe in noſtro Michaele illum Angelum, quem adeò deſiderauerunt languentes Euangelicæ Piſcinæ: Memoria eius pręcipuè habetur in ſupradicto Archioſpitali S. Marię Nouæ.

†

I. Nico-

N

I.

Nicolaus Abbas Sancti Mercurialis de Foroliuio Nobilis Foroliuiensis, ob egregias dotes suas, & summam in rebus gerendis experientiam multorum sibi comparauit venerationem, & gratiam, & magnus apparuit etiam inter Magnates, & Principes, ad quos pertractandi causa grauissima negotia, fuit à Romano Pontifice tunc Sixto IV. identidem missus, specialitèr tamen honorifica fuit illa Legatio, quam obiuit anno 1473. Vltra Montes, cùm enim redijsset de Gallijs eo tempore D. Ascanius Cardinalis Columna, qui illuc accesserat Legatus Apostolicus ad Regem Galliæ, in eius locum Nicolaus Abbas subrogatus est ad complendos tractatus, quos reliquerat Infectos idem Cardinalis ob præproperum nimis fortasse discessum ab illa Christianissimi Regis Aula.

Archiuium S. Mercurialis de Foroliuio. Arbor Vallumbrosana Ascan. Tamburini.

II.

Venerabilis Nicolaus Vngarus priùs Abbas Vallisumbrosæ, deindè Vicarius Generalis post mortem Generalis Pacifici, demùm

mùm Generalis ipse, & quidem in serie Generalium Quadragesimus quintus Congregationis electus in Capitulo celebrato circa ann. 1563. Vir fuit integerrimæ vitæ, qua propter in veneratione habitus nedum apud Patres Vallumbrosanos, sed & apud Exteros, & apud magnos Principes, præsertim carus fuit Magno Cosmæ Duci Ethruriæ, & Pio V. Pontifici Maximo, ad quem sæpiùs Romam venit, & benignissimè semper exceptus est à Sanctissimo Pastore. De eius ingressu in Religionem, hæc habetur traditio. E Regno Vngariæ vndè natus erat, & vndè cognominatus est Vngarus Romam petijt tempore Iubilęi celebrati in Ecclesia Catholica anno Reparationis Nostrę 1525. Visitatis Romæ Basilicis pro consequendis Indulgentijs, cogitat iam redire in Patriam, & iter instituens per Ethruriam, dum illac pertrãsijt, Vallemumbrosam deuotionis ergo diuertit, vbi de repentè per vehementem inspirationem vocatus à Deo ad Monasticam Vitam inter Vallumbrosanos degendam vocanti Deo statim assentiri decernit, & à Patribus, vt ad habitum admitteretur instantissimè deposcit. Commoti Patres à Nicolai precibus, & feruore, introduxerunt

eum

Acta Capitularia de an. 1563. in Archiuio Ripul. Vuion in Ligno Vitæ tomo 1. lib. 1. cap. 35. pag. 57. Locatell. lib. 2. cap. 66. pag. 325.

eum ad locum probationis, in quo ipſe voti compos factus per manus Io: Mariȩ de Canigianis tunc Generalis, Monaſticas veſtes eſt indutus, & inter Nouitios aſcriptus, ſicut autem alios Tyrones Nicolaus antecellebat ætate, ſic & antecelluit virtute, & quo diſciplinȩ tenore ſemper vixerit, & quantam indè ſibi conciliauerit æſtimationem, & beneuolentiam apertiſſimè colligitur ex hoc ipſo, quod homo cæteroqui exterȩ nationis, & in longinquis Regionibus natus, communi tamen omnium Patrum conſenſu in concurſu ad Generalatum antè alios Nationales Italos, & præſertim Ethruſcos, ipſe fuit prȩelectus. Qua verò Monachorum acclamatione Generalatum inijt, eodem cum plauſu retinuit vſque ad finem quatriennij omnibus gratus, & ſupra modùm amabilis; In ſenectute ſua abdicauit ſe omni prorsùs aliorum cura, & gubernio Monachorum, & electo ſibi Domicilio in Paſſinianenſi Abbatia, ibi dumtaxat ſibi viuere decreuit, & orationibus vacare ante Sepulchrum Sancti Io:Gualberti, quod & fidelitèr præſtitit, conſtanſque fama fuit, & per omnium ora vulgare effatum, quòd ſicuti Religioni Vallumbroſanæ multum vtilitatis prouenerat ab alijs

Nicolai

Nicolai Vngari patratis operibus in toto ſuæ vitæ curſu vſque ad illud tempus, ſic in eo ſtatu priuato ab eius prouenire precibus ad Deum pro Religione ipſa effuſis, & ab eius aſſiduis orationibus. Tandem dilectus Deo, & hominibus obijt in longitudine dierum, cuius memoria verè in benedictione eſt apud Vallumbroſanos, & erit apud omnes Poſteros.

†

O

I.

Fragmenta Historica Ascan. Tamburini, & eius Arbor Vallumbrosana.

Oderisius ex Abbate Sanctæ Mariæ de Osella, quę Vallumbrosanæ Congregationis Nobilis quondam erat Abbatia propè Tiphernum (vt habetur ex Catalogo Monasteriorum eiusdem Congregationis apposito apud Locatellum in calce eius libri) electus est S. R. E. Pręsbyter Cardinalis Titulo S. Martini in Montibus à Paschali Papa II. Quanti autem Oderisius Abbas meriti fuerit, hinc noscas, quod meritum habuerit ad amplissimam Ecclesię dignitatem, quę coęquat Ecclesiasticos Regibus.

II.

Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 9.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 28. pag. 232.
Bolland. de Mēse Maij fol. 253.
Lign. Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 169.

B. Orlandus Laicus, seu Conuersus Vallisumbrosæ, vir fuit innocentissimę vitę, & mundissimi cordis, & quia mundis corde specialiter repromittitur visro Dei iuxta illud Euangelij: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; Hinc est, quod etiam in hac vita, quantùm capax esse potest homo viator, per altissimas estases, & contemplationes ad id sæpè sępiùs assumebatur, ex qua assumptione ita mens iucundabatur, & animus, vt

indè

indè ſemper hilaris apparuerit, & iucundus. Eius propterea mors, quæ incidit anno 1442. dicendus eſt potiùs beatus tranſitus, quo videlicet mediante à delibata in terris per ſpeculum in enigmate cœleſti beatitudine, tranſijt ad videndum facie ad faciem ipſum Deum, in perpetuas ęternitates; Sed audiamus Elogium Martyrologij Benedictini annunciantis feſtum eius pro die 20. Maij, & eſt huiuſmodi: *Decimo tertio Kalend. Iunij S. Orlandi Conuerſi Vallisumbroſæ Magnæ circa Energumenos virtutis*. Et benè quidem illi quadrat hęc laus, quia ſpecialiter ad fugandos ex corporibus obſeſſis Dęmones eius virtus enituit: Quinimmò vſque in hodiernum diem, quando Energumeni deferuntur ad Eccleſiam Valliſumbroſę exorcizzandi, pręcipuè exorcizzantur ad Sepulchrum B. Orlandi, & per eius merita, & interceſſionem ſępè ſępiùs à Deo liberantur.

P

I.

PAncratius Monachus Vallisumbrosę claruit laude Poesis circa finem sexti Sęculi Religionis, & Græcæ linguæ fuit peritissimus, in qua materia plurimum etiam scripsit, & præcipuè tradidit Methodum vtilissimam pro benè, & facilè addiscendo Idiomate Græco, Quantùm verò ad Poesim plurima edidit carmina, inter quę principem locum sibi vendicant edita in honorem Sancti Atthonis Pistoriensis Episcopi; Et hæc est prima laus Poetæ Catholici, Musas euocare à profano cantu de Apollinea Cithara, & reddere cantatrices ad Sacrum plæctrum Angelorum.

Archiuium Vallisumbrosæ, & Ripul.

II.

Paschalis II. Romanus Pontifex Rainerius anteà vocatus natale solum agnoscens in oppido Galeatæ sub confinibus Ethrurię, & Flaminiæ Cluniacensem Regulam professus est Monachus Ordinis Sancti Benedicti, & dum è Monasterio Cluni, vbi degebat in Gallijs, ad Italiam regreditur eo tempore quo Cluniacenses Italiæ ijdem erant

ac

ac Vallumbrosani, vt dictum est superius littera G. in Elogio Sancti Gregorij Septimi, & littera I. in Elogio Sancti Ioannis Gualberti, vixisse fertur hic inter ipsos Vallumbrosanos, donec ab eodem Pontifice Gregorio renunciatus fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Titulo Sancti Clementis, & postmodum anno 1099. vacante Sede post obitum Vrbani II. Summus Pontifex est Electus, & Paschalis secundus appellatus, & quidem secundus etiam fuit Pontifex Congregationis Vallisumbrosæ: Quòd autem hæc dederit duos iam Vaticano Pontifices, ex Vaticano ipso clarissimum habemus testimonium, ex oraculo nempè fel: Record: Clementis Papæ Decimi, qui in Breui concessionis habitus Prælatitij pro Generali Vallumbrosano in confirmationem supradictę veritatis sic loquitur. *Cum inter congregationes Monachorum Italiæ Ordinis Sancti Benedicti Congregatio Vallisumbrosæ duorum Summorum Pontificum, & plurium Sanctorum numero, & Viris insignibus pietate, & Doctrina præstantibus decorata existat, ac etiam antiquitate*. Ita Breue emanatum sexto Idus Octobris 1671. Pontificatus anno secundo; Cuius exemplaria Typis mandata asseruantur

Antiquæ Memoriæ Vallis Vmbrosæ innixæ traditionibus.

tur in Archiuio S. Praxedis de Vrbe, & alibi in alijs Archiuijs Religionis.

Scio, Carolum Tappiam Equitem Neapolitanum in ſuo opere iuridico §. de Ordine Vallisumbroſæ: Huic Ordini aſcribere Innocentium Papam II. probareq; id ex antiquiſſimis picturis exiſtentibus Neapoli in Palatio Regio, quæ repreſentant eum habitu Vallumbroſano indutum cum Thiara Pontificia in capite; Sed cùm eius opinio videatur ſingularis, fides huius rei ſit penes ipſum Auctorem, & fortaſsè irrepſit error à Paſchali II. ad Innocentium II. Vixit autem in Pontificatu Paſchalis II. ad decem, & octo annos, & quæ præclara ipſe geſſerit eo tempore, & in toto vitæ ſuæ curſu paſſim videnda ſunt apud Auctores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ad quos remitto Lectorem, cùm pro noſtro fine hæc dixiſſe ſufficiat.

III.

Didacus de Franchis in hiſtoria lib. 5. pag. 117. Eudox. Locatell in vita S. Io Gualberti lib. 1. cap. 38. pag. 69.

B. Paulus in Catalogo Diſcipulorum Sancti Ioannis Gualberti recenſetur vltimo loco à Didaco de Franchis, & fortaſſis quia Frater Laicus, & Conuerſus, cæterùm non vltimus apparuit in merito virtutis, & laude Miraculorum, inter quæ illud præcipuè narra-

narratur, quod accepto mandato à Sanctiſſimo Patre Ioanne Gualberto acceſſit ad Vrſum terribilem per Alpium montes circumcirca Pecora deuorantem, & omnia deuaſtantem, & quem multi ſimul Agricolæ, & Coloni veluti in agmen collecti haſtis, & armis non potuerunt occidere, ipſe ſolus ſolum baculum geſtans ad manus, prius vocatam ad ſe immanem feram iam voci ſuæ mirabiliter obſequentem ita de facili interfecit, vt facilius manſuetum Agnum non interfeciſſet. Quare Incolæ illarum Regionum circa Alpes Marradij habitãtes gratias maximas egerunt Deo, qui dignatus eſſet per merita ſerui ſui Pauli à tam pernicioſo monſtro ſe ſuaque liberare; Series huius facti fuſiùs narratur ab Eudoxio Locatello loco citato in noſtra margine.

IV.

Paulus Abbas Sancti Saluij intimus familiaris Sancti Bernardi Vberti Cardinalis, & Parmenſis Epiſcopi, eum ſequutus eſt per Italiæ Ciuitates, & Prouincias, ad quas ipſe Bernardus mittebatur ſucceſſiuè Legatus Apoſtolicus à Romanis Pontificibus illorum temporum: Fælicitati autem earum legationum plurimùm etiam dicitur contuliſſe labor

Fragmenta Hiſtoriarum Aſcan. Tamburini, & eius Arbor Vallumbroſana.

bor aſsiduus Pauli Abbatis, & eiuſdem ſingularis in agibilibus ſolertia, vnde valdè benemeritus, & ipſe viſus eſt de Sancta Sede, & de Succeſſoribus Petri, quibus ea tempeſtate non defuit ſuus Paulus, ſin minus Apoſtolus, certè vir verè Apoſtolicus.

V.

S. Petrus Cognomento Igneus ab igne videlicet, quem illæſus miraculosè pertranſijt, cùm eſſet adhuc Monachus, & Diſcipulus Sancti Ioannis Gualberti Abbatis, de eo diſcipulatu aſſumptus eſt à Gregorio Papa VII. in Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalē, & Epiſcopum Albanenſem, cuius laudatas virtutes, & præclara geſta compendiosè videnda ſunt in lectionibus approbatis à Sacra Rituum Congregatione pro Officio recitando à Vallumbroſanis ſub Ritu duplici die 8. Februarij, in quem incidit feſtum eius, & paſſim notatam reperies eius hiſtoriam apud quamplurimos Auctores, & quidem claſſicos: Sed placeat audire Ciacconium, qui ſic loquitur.

Aſcān. Tamburini de Iure Abb. tom. 1. diſp. 15. pag. 25.

Petrus Igneus in Tuſcia nobili genere ortus adhuc puer in Monaſterio Valliſumbroſæ à Sancto Ioanne Gualberto primo eiuſdem Ordinis Inſtitutore in Diſciplinam ſuſceptus & Monaſti-

Ciaccon. in Veter. editione tom. 1. pag. 335.

co

co habitu indutus diù in eo vitæ genere vixit. Virtutis ergò primùm Monaſterij Paſſinianenſis Prior, deindè ſeptimi, poſteà Abbas Ficiclenſis, demum eius virtutibus & ſanctitate vbique cognitis Epiſcopus, & Cardinalis Albanenſis creatus à Gregorio Septimo; Adhuc viuens prodigijs claruiſſe dicitur, quorum illud maximum, & memorabile, quòd adhuc Monachus iuſſu Abbatis ſui viri Sanctiſſimi Ioannis Gualberti ignis examen ſuſcipiens ignem immenſum illæſum pertranſiuit veſtimentis etiam per flammam volitantibus incorruptis. Quo miraculo Veritas Catholica magis confirmata eſt contra Simoniacos, & alios illius temporis nefarios hæreticos. Quantùm ad familiam eiuſdem Sancti Petri ignei Auctores non pauci, & quidem non vulgaris notæ eum faciunt de nobiliſſima Familia Aldobrandina: Baronius in primis loquens de eodem Sancto, hæc ait: *Etenim nobili ortus genere ex ſtemmate Dominorum Aldobrandinorum* Auguſtinus Oldoinus in Ciacconio deſcribens vitam huius S. Cardinalis eum nominat de Aldobrandinis, & alibi ſcilicet in vita Sancti Bernardi Vberti Cardinalis item Vallumbroſani eius Nepotis ex Sorore clariùs idipſum aſſerit dicens *Bernardus Flo-*

Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 6. pag. 193.
Del Sera in ſuo Compendio pag. 4.
Annal. Baron. tom. 11.
Oldoin. in Ciaccon. tom. 1. pag. 862.
Didacus de Franchis in hiſtoria S. Io. Gualb. lib. 5. pag. 118. & alib.
Drexel. in elio-trop. lib. 5. §. 3. cap. 4.
Synthema Vetuſtatis, ſeu Flores hiſtoriarum Nicolai Auguſtini Capherri.

rentiæ Hugone Patre clara Vbertorum Stirpe, *Matre verò Aldobranda de antiqua Aldobrandinorum Familia B. Petri Ignei Sorore natus*: Hieronymus Drexellius in ſuo Eliotropio poſtquam enarrauit huius Sancti Viri Miraculum quando per medium ignem tranſiuit illæſus ſic ait: *Hic vir quamuis ex nobiliſſima Stirpe Aldobrandinorum oriundus, tam ſubmiſſi tamen, & Deo fidentis animi fuit, vt Præſulis ſui Sancti Ioannis Gualberti iuſſu pecoris custodem agere non recuſarit.* Abbas Didacus de Franchis in ſua hiſtoria vocat eum Aldobrandinum, & in eius margine citat Dominicum Mellinum in additionibus ad Mathildem. Nicolaus Angelus Capherrus à Sancta Victoria in opere quod inſcripſit Synthema vetuſtatis, ſeu flores hiſtoriarum ſic apertè loquitur de Familia Sancti Petri Ignei. *Eo Pontifice* ſcilicet Alexandro II. quem prius nominauerat, *Beatus Petrus Aldobrandinus cognomento Igneus, deindè Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis adhuc Monachus iuſſu* S. *Ioannis Gualberti Abbatis ſui, contra Epiſcopum Florentinum Simoniacum ignis examen ſuſcepit, & illæſus pertranſiuit*, & ſubdit immediatè poſt *Extat ea de re inſignis Epiſtola Cleri, & Populi Florentini ad Alexandrum II. qua Pe-*

trus

trus vocatur ex magnifica atque nobilissima Familia Aldobrandinorum desumpta ex antiquo exemplari quod in Monasterio Sancti Grisogoni asseruatum olim accuratè perlegimus. Quæ Epistola fuit typis mandata Romæ in Typographia Guilielmi Facciotti de anno 1602. vnà cum litteris dedicatorijs Hadriani Cyprarij Abbatis Sanctæ Praxedis ad Illustrissimum tunc, ac Reuerendissimum Dominum Petrum Aldobrandinum Sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalem Camerarium Clementis Papæ Octaui Nepotem: Cùm autem incredibile propèmodum videatur quòd Vniuersus Clerus, & Populus Florentinus scribentes ad Alexandrum Papam II. errauerint in dicendo cognomen, & familiam conciuis sui omnibus noti, Hinc prorsus eliminatur omnis dubietas in contrarium super hac re, Vnde meritò videtur posse procedi ad correctionem Cognominis Aldobrandeschi in Aldobrandinum; Cùm satis probetur, eum esse de Aldobrandinis, sed excipe iam benigne Lector carmen in Epigrammate, & Odes aliquas super virtutes, & gesta Sancti Petri Ignei Cardinalis, quæ præsertim Odes poterunt etiam inseruire pro Vesperis, Nocturno, & Laudibus eius

Officij, ſi Sacra Rituum Congregatio dignabitur aliquando eas approbare.

AD VESPERAS

Feruet accenſum Babylonis antrum,
Cum ſtatim iuſſu Rabidi Tyranni,
Sęuus immittit teneros Athletas
Tortor in ignem.
Illicò & credit Pueros Aduri,
Indè combuſtos cinerem futuros,
Poſteà in totum fieri voracis
Pabula Flammæ.
Flamma ſed ſuauis Zephiri in figuram
Verſa lambendo Miſaelis artus
Recreat parcens gemini & ſodalis
Aura Capillis.
Quidquid at quondam Babylone viſum
De ſuper flammas celebri Trophæo
Vrbe, quæ florum titulo ſuperbit
Conſpicit Arnus.
Nam rogo certum minitante fatum
Ire per flammas videt Innocentes
Aldobrandinum, ſtupidamque greſſu
Ludere Mortem.
Quin & Apricas veluti pererret
Semitas Diuus Viridantis horti

Vor-

Vortices Ignis reputat fragrantum
Serta Rosarum.
Donec exusto Vitio Simonis
Victor è flammis cecinit Triunphos
Visa cui circum Populi corona
Reddere plausus.
Sit Patri summum Decus, & Perennes
Filio laudes homini Deoque
Spiritus Sancti resonent per Orbem
Carmina, plausus.

AD NOCTVRNVM

Claro Petrus de Sanguine
Splendor, Decus Florentiæ
Septennis inter Monachos
Custodiendus ponitur.
Lusus relinquens paruulus,
Quos vult recens infantia
Amplexus est incommoda,
Quæ vita fert Monastica.
Vel poma, vel quos frutices
Arbusta dant syluestria
Illi dederunt Pabulum
Et lympha fontis poculum.
De stirpe quamuis nobili
Abiectionis munia

Exer-

Exercet hic per Paſcua
Armenta ducens vilia.
Aetate cunctis Iunior,
Longæuus at Virtutibus
Præſtantis Obſeruantiæ
Exempla dat maioribus.
Vmbroſa Vallis Saſſinæ
Quondam vocata Tuſcia
Ioanne dempto nuſpiam
Maius dedit miraculum.
Sit Trinitati gloria,
Regnet Deus per ſæcula,
Qui nos precantes audiat
Per vota tanti Antiſtitis

AD LAVDES

Intra receſſus nemorum
In Valliſumbroſæ ſinu
Petrus quieto ſpiritu
Auri trahebat ſæcula.
Cùm Septimus Gregorius
Sacris perornat Inphulis
Et Cardinalis pertrahit
Ad dignitatis Verticem.
In dignitatis culmine
Fit plus relucens Sanctitas

Vnde in Thiara, & Purpura
Ceu Sol refulget Præſulum.
Legati fungens munere
Miſſus per Orbis Plagas
Reges, Dinaſtas, Principes
Deuinxit alta gratia.
Romam reuerſum Pontifex
Virtutis amplæ in præmium
Aſtante cætu nobili
Excepit illum laudibus.
Sit Trinitati Gloria,
Regnet Deus per ſęcula,
Qui nos precantes audiat
Per vota tanti Antiſtitis

In honorem eiuſdem Sancti Petri Ignei Cardinalis, & Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Ethruſcos fines Peſtis damnata Simonis
Irruerat, populis dira Venena ferens,
Sed tamen hanc contra, nomen fatale Simoni,
Alter Cæleſti robore Petrus adeſt.
Ille alacer flãmis ſeſe vltrò ardentibus infert,
Nec ſemel ignitas itque reditque Vias,
It, Redit incolumis, fului nam more Metalli
Clarior

Clarior in medio cernitur igne fides.
Sola perit flammis, Fidei parcentibus, Vstum
Amplius haud tollẽs Hęresis Hydra caput.
Alcidem hinc Noscas, sed Sacrum, ille ignibus Hydram,
Ignibus hæreticam perculit iste luem.

VI.

Historia S. Io. Gualberti lib. 5. pag. 117. Arbor Vallumbrosana. Ascan. Tamburini.

Venerabilis Petrus Alter Discipulus Sancti Ioannis Gualberti Electus fuit Episcopus in Insubria vnà cum Adamo, de quo dictum est in ipso initio huius operis; Abbas enim de Franchis hęc præcisè refert de his duobus Episcopis Materno Idiomate *Adamo è Pietro ambi Vescoui di due Città in Lombardia*. Cùm autem Petrus non secus ac Adam Episcopali munere sit insignitus ab eodem Sanctissimo Pontifice Gregorio VII. & ijsdem temporibus quando Pastoribus Ecclesiarum præcipuè illius Regionis, in quibus inuadebant gregem Christi hæreticorum Lupi rapaces, incumbebat onus ponendi animam suam, hoc est vitam, pro ouibus suis, vt à rabie illorum eas defenderent, hinc satis abundè commendatur Petri eximia virtus, & animi firmitas ac fortitudo, vnde Ecclesia, quæ ei contigit substentanda innixa

super

ſuper firmitatem noſtri Petri benè potuerit c[illegible]i fundata ſupra firmam Petram.

VII.

Beatus Petrus Monachus Abbatiæ Montis Plani Fundator, & Architectus fuit eiuſdem Abbatiæ, cuius Eccleſiam dedicauit in honorem Deiparæ Virginis Mariæ, vndè Monaſterium illud Sanctæ Mariæ de Monte Plano eſt nuncupatum, & celebre fuit apud Vallumbroſanos: Series autem eius vitæ, & ædificati Monaſterij ſic ab hiſtoricis narratur. Gubernante Religione S. Bernardo Vberti, antequam ipſe ad Epiſcopatum Parmenſem, & Cardinalitiam dignitatem aſſumeretur, cœnobiticè viuebat Petrus cum alijs Monachis in Cœnobio Vallisumbroſæ, ſeu in alijs Religionis Monaſterijs, ſed amore ductus eremiticæ vitæ de licentia Superiorum ſeceſſit in ſolitudinem iuxta receſſus Syluæ Montis Plani, qui locus eſt Piſtorienſis Dięceſis, ibique in exigua à ſe conſtructa cellula ſolitarium Eremitam Sanctiſſimè egit. Accidit autem, vt Comites de Vernio illorum Nemorum Domini illuc venatum iuerint, & inter venandum reliquis per vaſtam Syluam vagantibus Socijs, & famulis, à quibus ferebantur cibaria,

Siluan. Razzi in Sanctis Ethruriæ.
Bolland: to. 11. pag. 101.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 6.
Locatell. lib. 2. cap. 3. pag. 209.
Lignum Vitæ tom. 2. pag. 133.

Fundatio Abbatis Montis Plani

ipſi fame, & ſiti laborantes ad Eremitorium Petri perueniſſent, & ab eo petijſſent aliquid ad reficiendas laſſas vires: B. verò Petrus cùm præter parum panis, & fructus ſylueſtres, quos pro ſuo conſueto cibo habebat, nil aliud antè illos potuiſſet apponere, optauit ſaltem pro viris adeò Illuſtribus Vinum ad inopem menſam præparare, ſed hoc non reperto, quia ipſe ſola aqua ſitim ſedabat, ad aquæ ſuæ vas accedens, & ſuper eam magna cum fiducia Crucem ſignans de repentè aquam puram in vinum bonum conuertit. Miraculum mirati Comites de Vernio Seruum Dei cæperunt exindè ſummoperè venerari, & grati de accepto beneficio optionem illi dederunt eligendi ſitum quem vellet ad ædificandam ædem Sacram, & Monaſterium intra limites illius amplę regionis, quo electo, Monaſteriũ, & Eccleſia fuerunt fabricata ſumptibus Dominorum de Bardis. Poſt abſolutam fabricam introductis in ea Abbatia Monachis Vallumbroſanis, iterum cœnobiticè cum illis in Monaſterio per ſe constructo aliquandiù vixit, donec vigilijs, ieiunijs, & alijs corporis macerationibus penè conſumptus in ſenectute bona ſpiritum Deo

reddidit anno 1098. die 12. Aprilis ſub quo annunciatur feſtum eius in Martyrologio Benedictino his verbis. *Pridie Idus Aprilis in Monaſterio Valliſumbroſæ Depoſitio Beati Petri Monachi, & Eremitæ tantæ Sanctitatis viri vt ſola oratione exemplo Domini aquam in vinum conuerterit.*

VIII.

Petrus alter huius nominis Monachus Valliſumbroſæ de clauſtris Monachalibus ad Piſtorienſis Eccleſiæ Cathedralem fuit tranſlatus de anno 1096. Meminit illius Abbas Vghellus his verbis. *Petrus Monachus Vallumbroſanus cùm Piſtorienſis Epiſcopus fuiſſet adlectus multa dilargitus eſt Monachis Sancti Michaelis de Furcule ſui Ordinis, & Petri huius voluntate ac beneplacito Mathilda Comitiſſa dedit Monaſterio Sancti Saluatoris Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ponte anno 1099. & fragmentum donationis refert Franciſcus Maria Florentinus libro ſecundo rerum memorabilium Comitiſſæ Mathildæ tom. 3. pagin. 357.* Hucuſque Auctor citatus, cui nihil addendum cenſui, cum hæc ſufficiant pro noſtro Inſtituto.

Italia Sacra tom. 3. pag. 357. Catalogus Epiſcoporum Piſtorienſ.

IX.

Petrus Tranſipontes Nobilis Piſtorienſis

Monachus Abbatiæ Sancti Michaelis de Furcule, quæ antonomasticè Abbatia Ciuitatis à Pistoriensibus nuncupatur, vt erat à natura factus ad agibilia, & ad pertractanda negotia plurimum in ijs fuit occupatus quoad vixit, ne dum intra Religionem sed etiam extra pro Magistratibus sæcularibus, illum enim sæpè Oratoris Officio in rebus magni momenti apud varios Principes pro Patria, & pro Republica Florentina functum fuisse ferunt, & præsertim id muneris aliquando præstitit, & quidem summa cum laude apud Christianissimum Regem Galliæ, vt eruitur ex antiquis Monumentis prædictæ Abbatiæ. Floruit in secundo Sæculo Religionis, & satis perantiqua Imago eius extare dicitur in quadam Domo Pistorij de familia sua.

Antiquæ Memoriæ Abbatiæ S. Michaelis de Furcule Pistorien.

Arbor Vallumbrosana.

A scan. Tamburini.

X.

Petrus de Stia Clusentinæ Prouinciæ in Tuscia licet adhuc puer receptus fuerit in Religione Anno 1517. nil tamen puerile gessit vmquam, quinimò senilis grauitas in eius actibus semper emicuit, vnde quantocius ei delati fuerunt à Superioribus gradus, & dignitates Ordinis, & quidem ea celeritate, vt inferiora officia exercuisse visus

sit

ſit vix trigeſimum ætatis attingens annum, dum eo tempore capax fuit Abbatiatus de ſexto gradu ſiue de Collegio, quippèqui electus fuit Abbas S. Praxedis de Vrbe, vbi toti Orbi exiſtens obiectum maturitatis, & prudentiæ venerationem non mediocrem ſibi comparauit apud Romanam Curiam, & ipſam Aulam Pontificiam, quare ſin minus ſpiritu humilitatis refugiſſet honores, profectò ei collata fuiſſet aliqua inſignis dignitas Eccleſiaſtica, vt fama refert: At aufugere non potuit dignitates etiam primarias intra Religionem, nam in Capitulo Generali celebrato ſub annum ſalutis 1544. Conclamatus à Patribus Generalis Ordinis Electionem declinare non valuit, & oneri ſubiecit humeros. Suſtinuit illud magna cum prudentiæ laude vſque ad finem Triennij, tunc enim Præſidentes erant Triennales, Mæcenas quippe creditus ſapientum Virorum, illorum in primis & fouere, & promouere ſtudia non deſtitit, ex quo ſcientiæ magis, magiſque effloruerunt inter Vallumbroſanos; Superuixit ad Generalatum viginti, & octo annis, in quibus inſigniores ſucceſſiuè Abbatias gubernauit: Tandem abdicatis ſpontè omnibus Gubernijs ſo-

lo

Archiuium S.Bartholomęi de Ripulis

Eudox. Locatell. lib. 2. cap 56 pag. 317.

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. cap. 35. pag. 56.

lo contentus titulo Abbatiæ SS. Trium Magorum de Bibona in Monasterio Passiniani Moratus est vsque ad annum 1575. quo tempore recurrentibus ibi comitijs Generalibus è vita migrauit die 24. Aprilis, & ibidem tantò honorificentiùs funeratus fuit, quantò honorificentior fuit corona Abbatum, & aliorum Venerabilium Patrum, qui interfuerunt funeri, in hoc assequutus proportionaliter ferè gloriam Diui Bonauenturæ, cuius solemne funus, teste Ciacconio in eius vita, celebratum est Astante toto Lugdunensi Concilio.

XI.

Venerabilis Petrus Migliorotti de Puppio ab ipsa Pueritia stolam Innocentiæ, quam acceperat in Baptismate, cumulauit cum Veste Vallumbrosana sub initium currentis Sæculi, ista indutus, illa numquam dictus est spoliatus, constans enim fama fuit, quòd Petrus Migliorottus numquam toto vitæ suæ tempore læthalem culpam commiserit, & hoc speciale donum Dei Altissimi ipsemet aperuisse fertur morti proximus D. Alexio de Melioribus Abbati tunc Cœnobij Vallisumbrosæ superiori suo; Vt verò vestis hęc innocentiæ pretiosior antè oculos Domini appareret

Lib. Memoriarum Cœnob. Vallisumbrosæ.
Archiuium Ripulen.
Vita eius compendiosè conscripta à D. Rodulpho de Foraxassis.

pareret non cessauit superinducere ad illam ornamenta aliarum virtutum, quarum actus exercere visus est in gradu ferè hæroico; Circa dona Naturæ, hæc adeò fuit erga Petrum liberalis, vt diceretur, Eum efformasse aptum ad omnia, in linea litteraria, vsque ad Cathedras, & Magisteria Religionis, in quibus de facto aliquando fuit applicatus, in linea verò Iurisprudentiæ ad omnes Ordinis administrationes, & Prælaturas. At ipse prælaturis posthabitis, & honoribus, vt longiùs esset ab eis secessit in solitudinem Eremitorij Cellarum, dumtaxat ex obedientia, & mandato superiorum adductus ad acceptandum gradum Abbatis de mero titulo compatibilem cum statu suo; Ad annos 40. vixit ibi solitarius Vigilijs, Ieiunijs, & alijs corporis cruciatibus simul & orationibus intentus, frequenter interim recreatus supernis Visionibus Cælestium spirituum, & conuersatione Beatorum; Vnde benè vsurpare poterat illud Apostoli, Conuersatio nostra in cælis est, & verè illum locum appellare, sicuti de facto appellabat vulgari sermone. *Il suo Paradisino*; Hinc in eo illa singularis vultus hilaritas, qua accedentes ad se ex testimonio

etiam

etiã Magni Ducis Ethruriȩ Cosmȩ III. Aliorum spiritum in Domino exhilarabat: Hinc extro diuini amoris raptus, cum musicam doceat amor, ferè quotidiè audiebatur decantare compositas à se metro spirituales cantiones, quæ posteà typis mandatȩ sunt in librum collectæ: Hinc aliæ animi deliciæ, quibus ipse diuinitùs iucundabatur. Prophetiæ spiritu non caruisse dicitur, quo secreta cordium penetraret, & præcipuè intelligeret status animarum, an essent in gratia, an in reitate culpæ læthalis: Testes huius rei adsunt non pauci, qui occultis omninò criminibus grauati, vt sese per Sacramentalem Confessionem illis exonerarentur, ab eo fuerunt admoniti: Neque illi defuit gratia curationum, qua multos miraculosè sanauit, & curauit Infirmos: Languebat aliquando Incola quidam illorum montium circa Vallemumbrosam, aggressus in Agro ab intensis viscerum doloribus, & iam non valens incedere, vt domum se reciperet, cecidit pronus in Terram vi dolorum oppressus, & cùm neque à terra prȩlanguore amplius surgere, neque in terra ipsa præ cruciatibus quiescere posset, ferè se sensit moriturum, præcipuè se solum

ibi

ibi considerans omni humano destitutum auxilio: Accidit intereà quòd illac pertransiret Petrus noster Migliorottus, qui fortè ibat in Montana, vt adoraret de more quamdam Crucem fixam super Verticem Montis, & statim misericordia motus super languentem proximum blandè prius illum est consolatus, mox ei præbuit cerasam, quam fortè præ manibus gestabat adhortans languidum, vt eam comedat, comedit languens, & statim, mirabile dictu, cessauit omnis languor, & dolor, & ipse surrexit illicò à terra sanus, & incolumis; Imò ita robustus, vt apertè confessus fuerit ore proprio, numquam anteà se sensisse Robustiorem; Aliæ quoque persimiles Miraculosæ curationes de Venerabili nostro Petro referuntur; Interea cum senectus ipsa sit morbus iuxta commune Proloquium iam Petrus secundum supra octuagesimum annum agens tali morbo in dies amplius infirmabatur, & accedente acuta febri, cæpit verè decumbere, & quidem grauiter in lecto deportatus ad Cœnobium Vallisumbrosæ. In lectulo verò suo præter medicamenta, quæ præcisè ipsi ab obedientia parabantur, quantùm ad se, nihil aliud quæsiuit nisi quem quæsiuit in lectu-

lo suo Sponsa Canticorum nempè dilectum suum Iesum Christum, & hunc quidem Crucifixum: Crucifixum enim semper voluit ad Caput, ad Pectus, ad Brachia, & ad Oscula. Vnde in Osculo Domini tandem migrauit è vita Idibus Ianuarij anno à Natiuitate 1679. cum antè eius migrationem varia præcesserint prodigia, inter quæ illud maximum, & notorium, quod vas aquæ Benedictæ, qua frequenter optauit aspergi, aliquoties nullo manuum Ministerio delatum, visum est de pariete moueri, & deferri ad manus ægrotantis, vnde ipse per se posset aspersorium sumere, & indè ad locum suum reuertebatur non sine magno stupore Astantium, qui tribuerunt hoc signum Ministerio Angelorum. Post se igitur relicta fama Sanctitatis quid mirum si omnes Ciues Florentini, quinimò omnes, penè dixerim, in Ethruria certatim postulauerint partem aliquam Vestimentorum, aut aliarum rerum ad vsum eius, quasi Sacras Reliquias ea venerantes! Concessa sunt ad consolationem Populorum, & per ea variæ gratiæ Diuinitus impetrantur. Corpus eius magna cum veneratione humatum fuit in Valleumbrosa apud alios Venerabiles Patres, &

ad

ad eius tumulum, hæc fuit apposita Inscriptio.

D. PETRVS MIGLIOROTTI ABBAS

Cellarum Vallisumbrosæ Eremita
Qi singulari B. Catharinæ Alexandrinæ
aduocatione
Ab adolescentia terrena despiciens
Sacrarum litterarum intelligentia,
Et puritatis dote ditatus
Orationi, & contemplationi assiduè vacauit
Hic requiescit.
Dei Matris amore flagrans
Et Patrocinio fruens.
Præcipuis Charismatum donis cumulatus
Obijt Anno Domini M. DCLXXVIII.
Ætatis suæ LXXXII.

XII.

Placidus Antinori Nobilitate Generis, & animi dotibus nulli ex conciuibus suis Florentinis inferior, Monachus Vallisumbrosæ, & Abbas Ficiclensis, illius videlicet Abbatię, cui iam olim præerat S.Petrus cognomento Igneus vixit in tertio Sæculo Religionis cum auctoritate magna in Patria; At incidit in

Archiuium Vallisumbrosæ Histor. Valeriani Salaini.

 mala

mala tempora, hoc eſt in ſeditioſas Guelphorum, & Ghibellinorum factiones, quibus Florentina Reſpublica in duas partes diuiſa miſerrimè ſcindebatur, niſi & hoc ipſum infortunium, ad maiorem fortè militauerit eius nominis gloriam, quam nempè reportare potuit de ſedatis aliquoties Ciuium tumultibus, & de ope opportuna periclitanti Patriæ præſtita ſuis conſilijs, ſuo ſtudio, ac labore: Placidum valdè commendant Valeriani Salaini hiſtoricæ paginæ, ad quas remitto Lectorem ſciendi cupidum fuſius Antinori virtutes, & geſta; Vt ex vngue Leonem agnoſcas, hæc breuiter innuiſſe ſufficiat pro noſtro inſtituto.

XIII.

Placidus Pauanelli Patauinus Congregationis primùm Sanctæ Iuſtinæ de Patauio Monachus commendatione virtutis ſuæ tantam collegit gratiam apud Eugenium IV. Pontificem, cui à ſecretis inſeruijt in Concilio Florentino, vt ab eodem mox per Pontificium Diploma conſtitutus fuerit Abbas Generalis Congregationis Valliſumbroſæ. Hanc ad annos quindecim ſapienter gubernauit donec à Nicolao Papa V. circa annum ſalutis 1448. inſignitus eſt titulo Biblenſis Ecclesiæ,

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ tom. 1. lib 1. pag. 55. Del Sera in suo Compend. pag. 17. Locatell. lib 2. cap 66. pag. 275.

Italia Sacra in Eccleſia Biblenſi, & Parétina, & Torcellana.

clesiæ, & paulò post ad Parentinam Cathedralem translatus fuit. De anno verò Domini 1458. vt refert Abbas Vghellus, iterum mutata residentia euasit Episcopus Torcellanus; Et Torcelli non multos post menses ferè capularis senex decessit, & ibi in templo S. Ioannis Euangelistæ fuit sepultus. Preter Vghellum meminere huius Illustris Viri Arnordus Vuion, Bernardus del Sera, Locatellus, & alij scriptores, qui eum celebrant ab Austeritate Vitæ, quam in se professus est, & à rigore Monasticæ Disciplinæ, quam Generalis Vallumbrosanorum ab eis voluit, Accedens ad eos veluti alter Ioannes Baptista in spiritu Eliæ Vinum & siceram non bibens omnibus diebus Vitæ suæ, nam fuit à natura etiam abstemius, & prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem præteritarum transgressionum: Odiosa quidem concio apud Aures amantium libertatem Monachis indebitam, apud quos parum fuit acceptus, sed aliunde ex hoc ipso magis Deo gratus, cui tantum placere studuit, & non hominibus, cautus factus ab illis Pauli Verbis, quibus ipse ait; *Si hominibus placerem Christi seruus non essem*, placuit igitur Deo, & inuentus est iustus.

Placi-

XIV.

Placidus Clusentinus de terra Puppiensi Monachus Sancti Cassiani Montis Scalarij Fæsulanæ Dioecesis, Vir Pius, & vndequaque Doctus, ac Eruditus, Philosophiæ, ac Theologiæ Professor insignis, & in declamandis ad Populum sermonibus admodum clarus ne dum à laude rari ingenij, & facundi Eloquij; Sed & à laude doctissimi calami inter cæteros sapientiæ candidatos, & Scriptores Vallumbrosanos resplenduit, scripsit enim stylo valdè scientifico in materia de controuersijs præcipuè contra Lutheranos, & nonnullos æquè doctos tractatus super Decalogum: Floruit sub Iulio Tertio Pontifice Maximo, & Carolo Quinto Imperatore, sed neque per Ventum vrentem mortis posteà in totum defloruit, neque ab eius acuta falce præcisus flos iste mysticus decidit, quin potius instar Lilij fragrantis in cænosa terra, etiam in marcido puluere sepulchri stat odor eximiarum virtutum eius.

Archiuium Vallisumbrosę & Fragmenta. Historiarum Ascan. Tamburini.

XV.

Venerabilis Plebanus nomine dictus est ille Venerandus Pater, qui successit in Generalatu ad Beatum Thesaurum Beccheriam

Gene-

Generalem prius Ordinis Vallisumbrosæ, deindè Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Martyrem, à cuius digno regimine inueniens Religionem in statu optimæ Disciplinæ in eodem studuit eam conseruare factus omnibus sibi subiectis Monachis exemplar bonorum operum in cultura Sanctuarij, & in assiduitate ad horas Canonicas in Choro, in studio castitatis, & Virginalis propèmodum verecundiæ, in orationibus, Ieiunijs, Vigilijs, & alijs carnis macerationibus à Regula præscriptis, Discretus tamen, mitis, ac suauis erga omnes, præcipuè solicitus fuit Cultor fraternæ charitatis, & amator pacis, quam nedum fouit intra claustra, sed etiam inter eos, qui foris sunt sæculi Proceres, & Magistratus Ethruriæ, cùm per se non steterit, quò minus pacificauerit Guelphos, & Ghibellinos ea tempestate immanius inter sese furentes; sed quia frustra laborat Pacificus cum illis, qui oderunt pacem, infectum reliquit opus, & ad pacificè regendam Congregationem sibi commissam se totum impendit, in cuius Beneficium non Pauca impetrauit Priuilegia à Sede Apostolica tum ad Alexandro Quarto, tùm ab Vrbano Quarto Romanis Pon-

Archiuium Vallisumbrosæ.

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ tom. 1. lib. 1. cap. 34. pag. 54. Locatell. lib. 1. cap. 31. pag. 244.

Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 11.

Pontificibus erga ipſum valdè benignis. Quatuordecim tandem conſummatis annis in Paſtorali ſollicitudine, mortis ſibi prædicens diem, quæ futura erat ſeptima Auguſti anno 1272. per mortem temporalem conſequutus eſt vitam æternam.

R

I.

Ricciardus, siue Riccardus à Monte Luco Abbas primùm Sancti Pancratij, mox Vallisumbrosæ, posteà totius Congregationis Vallumbrosanæ Generalis, & quidem in serie Generalium Vigesimus octauus, sedente tandem Eugenio IV. Electus est Episcopus Massæ nonis Nouembris anno 1433. & laudatur in primis à conatu quem semper adhibuit in vincendo se ipsum (Vera Christiani Militis Palęstra) dicere solitus, minorem esse Victoriam illam, quæ reportatur de expugnata Ciuitate, quàm de superato seipso, subiungens nihil prodesse homini imperare alijs nisi imperet sibi: Hisce spiritualibus documentis optimè imbutus sicuti in se imperium exercere curauit, & super animi appetitus, sic aptus admodum extitit ad exercendum imperium super alios, intra Religionem quidem Abbas, & Generalis supra Monachos sibi subditos, extra Religionem verò iam Creatus Episcopus supra

Abb. Vghell. in Italia Sacra tom. 3. pag. 799.

Lignum Vitæ tom 1. lib. 1. cap. 37. pag. 58.

Bernard del Sera in suo Compendio pag. 16.

Locatell. lib. 2. cap 64. pag. 273.

Catalog. Episcoporum Massæ.

Populos ſibi ſubiectos, & hoc eſt verè Imperatorem promeruiſſe, & nedum Imperaſſe intra limites vnius Diœceſis, aut reſpectiuè Religionis, ſed cum tali ſubiectione ſui, & partis inferioris omnia quæ ſub Cælo ſunt infra ſe reſpexiſſe, quinimmò, & hoc eſt Cælum ipſum expugnaſſe, cùm ſcriptum ſit Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

II.

Beatus Rodulphus ad diſtinctionem aliorum huius nominis à Didaco de Franchis dictus eſt lingua vulgari, *il Magno* ſub Diſcipulatu Sancti Ioannis Gualberti educatus, à quo ſuper ſuſcipiendis peregrinis hoſpitalitatis officio primùm præpoſitus, deindè Abbas Monaſterij Sancti Petri de Muſcheto conſtitutus, & mox ob eminentiam ſcientiæ, & Zeli Apoſtolici veluti Apoſtulus in varias Regiones miſſus, præcipuè contra Simoniacos, & Nicolaitas ita ad mentem Magiſtri ſui Sanctiſſimi in omnibus operibus ſibi iniunctis ſeſe geſſit, vt ſpecialem amorem ſupra cæteros Condiſcipulos ſuos apud ipſum meritò ſit adeptus, proptereaque appellatus Diſcipulus ille, quem diligebat Gualbertus, & qui priuilegio amoris

Abb. Didacus de Franch. in hiſtoria S. Ioan. Gualb. lib. 5. pag. 117. & alib.

Lignum Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 367.

Bernard del Sera in ſuo Compendio pag. 3.

Locatell. lib. 2. cap. 1. cap. 383.

ris præcipui altius à Sancto Patre meruerit honorari, & Ecce præcellentis honoris ei præstiti documentum singulare: Transiturus iam de hoc Mundo Ioannes Gualbertus Beatissimus scripsit è Passiniano Epistolam exhortatoriam ad fraternam charitatem Monachis, & Patribus Vallisumbrosæ, quæ recitatur quotannis in lectionibus secundi Nocturni ad Officium Translationis eiusdem Sancti Patris pro die octaua, in ea Epistola Rodulphum specialiter nominat, & laudat, & in officio sibi successorem deligit mandans, vt illi eamdem obedientiam præstent, quam sibi præstabant, claudit enim Epistolam ipsam his Verbis. *Quamobrem vt diù Charitas vestra perseueret volo vt à D. Rodulpho vestra cura, & consilium post meum obitum pendeat, sicuti à me in mea vita pependit, valete:* Ingressus igitur Officium Generalatus Beatus Rodulphus nihil habuit Antiquius quàm sectari Vestigia prædecessoris sui Sancti Ioannis Gualberti in Regimine Congregationis, & in omnibus alijs operibus; Calcauitque semper eamdem omninò viam sibi à Sanctissimo Institutore demonstratam, donec Viæ attigit terminum de Viatore factus Conprehensor in Patria

Cælesti, ad quam peruenit die 22. Nouembris 1076. vt ferunt Tabulæ Vallisumbrosæ, & passim Auctores, & pro illa die annunciatur in Martyrologio Benedictino eius Beatus transitus hoc pacto. *Pridie Idus Nouembris Depositio Beati Rodulphi Abbatis Discipuli Sancti Ioannis Gualberti Secundi Generalis Ordinis*: Renouare visus est hisce nostris temporibus in Religione Vallumbrosana gratissimam memoriam Beati Rodulphi Generalis huius nominis primi.

Rodulphus de Forasaxis Generalis huius nominis secundus à laude integritatis, Regularis Obseruantiæ, & exemplaris Vitæ valdè conspicuus. Apatistarum percelebris Academicus, Vniuersitatis Florentinæ Lauraetus Theologus, Collegij Sanctæ Praxedis de Vrbe, & Passinianensis Gymnasij iam insignis cathedraticus, & Magister, arte pingendi, & benè scribendi, ac alijs liberalibus disciplinis Vir ornatissimus, & omnibus numeris absolutus, Dignus propterea qui bis ad Generalatum promoueretur: Primò quidem per vota PP. in comitijs Generalibus celebratis anno Iubilęi 1675. in Monasterio Vallisumbrosæ, deindè iterum ad eundem gradum assumeretur per Breue

Archiuium Ripulen. & memoriæ Religionis.

Apo-

Apostolicum Innocentij Papę XI. anno 1684. Suffectus in locum D. Epiphanij defuncti vix sexto inchoato mense Generalatus sui. Parum etiam abfuit, quin iste Rodulphus de Forasaxis renouaret memoriam sequentis Rodulphi Episcopi, quando non semel à Serenissimo Magno Ethruriæ Duce Cosma Tertio ad vacantes suæ dictionis Ecclesias fuit postulatus.

III.

Venerabilis Rodulphus alter Antiquus dignissimus huius nominis Monachus Vallisumbrosæ tempore Sancti Ioannis Gualterti Episcopali dignitate fuit insignitus à Gregorio Papa VII. & ab eo Mediolanum missus, *Accioche* (vtor Verbis Didaci de Franchis) *doppo il Martirio del Beato Arialdo, aiutasse quella Chiesa oppressa del falso Vescouo Guidone*, de quo Sanctus Attho Episcopus citatus in margine ad historiam de Franchis, sic ait. *Rodulphum Episcopum Papa posteà Mediolanum mittit cum Viris eruditis, vt cunctis Catholicis id omnino petentibus Episcopali officio subueniret ad consolanda corda fidelium diù pastore catholico destituta*: *ly posteà* refertur ad antecedentẽ depositionem factam ab eodem Pontifice Gregorio Septimo de

S.Attho Episcopus in sua historia cap. 67.

Didacus de Franchis in historia S.Io. Gualb. lib.1. pag. 463.

Archie-

Archiepiſcopo Simoniaco, cui nomen erat Guido, in cuius locum quantùm ad adminiſtrationem dumtaxat, & curam illius Eccleſiæ ſuffectus eſt iſte noſter Rodulphus iam Epiſcopus cæteroqui alterius Ciuitatis in Inſubria, & cum verba Sancti Atthonis Epiſcopi ſuperius citata amplum ſatis contineant Elogium nil addendum ad eius laudem putaui, vt ſolitæ etiam breuitati conſulam.

IV.

Romanus Natione Velliternus, profeſſione Monachus Vallumbroſanus ex Monacho eiuſdem Congregationis electus fuit Epiſcopus Venafrinus anno Domini 1300. Parum vixit in ea dignitate, nam Romæ deceſſit nondum conſecratus. Extat tamen eius nomen in Catalogo Epiſcoporum Venafri, & in antiquo lapide ſculptum propè Palatium Epiſcopale eiuſdem Ciuitatis, cùm verò deſiderentur aliæ de hoc Illuſtri Viro memoriæ, pro magno argumento eximiæ virtutis eius ſit ipſa Electio ad Epiſcopatum, ad quem probati Viri doctrina, & integritate morum valdè pręditi vniuerſaliter eliguntur.

Arbor Vallumbroſana Aſcan. Tamburini.

Ruge-

V.

Rugerius de Nobili Bondelmontium Familia Florentiæ ortus inter Monachos Vallumbrosanos ascriptus, & processu temporis Abbas Passinianensis constitutus de ea specialitèr Abbatia fuit valdè benemeritus, cùm enim accepisset illam incendio conflagratam, & penè destructam reędificauit, ornauit, & ad meliorem formam redegit, Iura Monasterij à quibusdam Ciuibus Florentinis temerè vsurpata recuperauit, annuos redditus, & rem familiarem multùm auxit, vndè meritò in Porticu Ecclesiæ de anno 1297. fuit incisum in lapide nomen Rugerij Bondelmontij ad perpetuam memoriam tam insignis beneficij, & Benefactoris erga Passinianense Cœnobium. Ex huiusmodi autem benemerentiæ motiuo, & ex inspectione aliarum virtutum in Rugerio existentium permoti Patres Vallumbrosani Capitulares, saltem sanioris consilij, & melioris notæ in Capitulo congregato circa annum 1301. post mortem Valentini Secundi vacantem Dignitatem ei detulerunt, & licet non omnes Patres Vocales pro eo tunc plenis votis conuenerint, posteà tamen conuenerunt

Lignum Vitæ tom. 1. cap. 34. pag. 55.
Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 13.
Locatell lib. 2. cap. 37. pag. 259.

omnes

omnes, & ab omnibus recepta fuit Electio eius; Generalatu igitur Bondelmontius potitus, quem zelum habuit erga Subditos ſuos Abbas particularis, eumdem oſtendit vniuerſalitèr erga omnes Vallumbroſanos Electus eorum Abbas Generalis, & in primis ad inſtauranda Studia Litterarum animum adiecit, ſolitus dicere cùm Iuniores ad ea hortaretur, Sapientiam matrem eſſe omnium virtutum, & ſanctarum operationum, è contrà, Ignauiam malarum operationum, & vitiorum omnium eſse Parentem, qua propter eo tempore magis magiſque effloruerunt in Religione ſcientiæ, & ſcientifici Viri in Pergamis, & in Cathedris valdè percelebres, ſicuti & in Academijs: Quod ſi gloria Patris eſt filius ſapiens, quanta dicetur eſſe gloria Rugerij, qui tot filios aluit ſapientia præſtantes? Ex tanta igitur ſapientum corona cum per decem & octo annos glorioſum habuiſſet Regnum, Vitæ finem, & Regni coronauit ſui anno 1319.

VI.

B. Ruſticus dè Familia Angeleria, fuit vnus ex primis Diſcipulis Sancti Ioannis Gualberti, in agibilibus admodum ſagax, &

& expertus. Vnde à Sancto Patre ſuper curam rei familiaris Præpoſitus fuit in Officio Camerarij, in quo ita prudenter ſe geſſit, & eam attulit vtilitatem Archicęnobio Valliſumbroſæ, vt recogitans Sanctus Ioannes Gualbertus eius in adminiſtrando ſolertiam ſingularem, & ęconomiam gratias aſſiduo ageret maximas Omnipotenti Deo, qui Seruos ſuos de tanto Miniſtro prouidere dignatus eſſet; Diù manſit Ruſticus in eo miniſterio omnibus gratus, & amabilis, nam præter nomen quod ruſticitatem ſonat, ipſam in moribus Vrbanitatem, & benignitatem præſeferebat. Vacato poſteà per Aſſumptionem Beati Petri Ignei in Abbatem Ficiclenſem, Paſſinianenſi Prioratu, Prior ipſe eligitur illius Monaſterij, & de Officio Camerarij Vocatus ad ſpiritualem præfecturam, vt erat aptus ad omnia, ęquè idoneus repertus eſt in vigilantia ſuper diſciplinam Regularem, ac prius experiebatur idoneus ſuper cura rerum temporalium, Quinimmò ita Myſticam intellexit Theologiam, & ita tenuit diuinarum rerum cognitiones, vt S. Ioannes Gualbertus iam morti proximus intendens eligere duos pręſtantes Sanctimonia Viros, qui ſibi moribundo

Arnoldus Vuion tom. 1. lib 1 cap. 55. & in Martyrologio tom. 2. lib. 3 pag. 362.

Del Sera in ſuo Compendio pag. 4.

Eudox Locatell. lib. 2. cap. 3. pag. 188.

bundo ſpecialiter aſtarent de duobus vnum elegerit Ruſticum . Propterea Ruſticus ipſe tantùm eſt auctus veneratione , & fama apud omnes Vallumbroſanos , vt poſt obitum Beati Rodulphi tertio loco à Sanctiſſimo Inſtitutore totius Ordinis Valliſumbroſæ Pater fuerit conclamatus , & Electus Ad annos circiter ſexdecim Religioni Sanctiſſimè præfuit, quantùm verò profuit audias benigniſſimè Lector ab Eudoxio Locatello, qui ſic Italica lingua deſcribit incrementa Congregationis ſub tanto Paſtore. *Viſſe il Beato Ruſtico nel Grado di Generale anni 15. e meſi 4. reggendo la Religione con ſomma pace , & in queſto tempo edificò Monaſterij , e molti ſotto il ſuo gouerno ne riceuette , in particolare quello della Beata Vergine in Irena , quello di San Michele nella Città di Piſtoia , quello di San Saluadore di Soffena Dioceſi di Fieſole ; Quello di San Fedele di Strumi Dioceſi d'Arezzo, quello di San Paolo di Piſa , e quello della Madonna di Monte Armato Dioceſi di Bologna , e quello della Glorioſa Vergine Maria di Oſella in Città di Caſtello: più altri reſtaurò di ſabriche , e ne riformò di Vita Regolare , & accrebbe la Religione di gran ſtima di ſantità talmente , che ſi ſparſe la ſama di eſſa*

da

da per tutto, e massime nella Corte del Papa allhora Vrbano II. dal quale Pontefice perciò il Beato Rustico fù molto honorato, & ottenne molti belli Priuilegij per la sua Congregatione di Vallombrosa. Quæ ibi enarrat Auctor & breuitatis gratia hic prætermitto: Tandem Beatus Rusticus melius quàm de stirpe Angeleria dicendus de origine, & natura Angelorum, cum non secus ac Angeli, qui sunt administratorij spiritus, & dicuntur esse per operationem in loco, ipse per operationem pariter visus sit esse in hoc mundo, semper operando in beneficium Congregationis; Sic veluti alter Angelus ad consortia transijt Angelorum in Cælis fruenda anno Domini 1092. die 6. Nouembris, vt habetur in Mortyrologio Benedictino, vbi transitus eius beatus sic annunciatur; *In Monasterio Vallisumbrosæ Depositio B. Rustici Abbatis tertij illius Ordinis Generalis.*

S

I.

SAluator Landus Romanus Congregationis Vallisumbrosæ Monachus, Magnæ vir doctrinæ, ac experientiæ cùm principaliter ęconomiæ laude apud omnes commendaretur ad exercendas extra Religionem etiam Piarum Domorum administrationes vocatus fuit, & in primis administrauit circa finem transacti sæculi in gradu Prioris, seu Hospitalarij curam conspicui Hospitalis de Figline oppido satis nobili in Tuscia iuxta Regionem Vallis Arni, quem pium locum administrauerant anteà alij duo successiuè Ministri item Ordinis Vallisumbrosæ, nempe D. Antonius Cappelli, e Constantius Sostegni, inter quos non fuit quærendum, an quis fidelis inueniretur, cum omnes inuenti fuerint dispensatores, & Ministri fidelissimi.

Archiuium Ripulens. & Fragmenta Histor. Tamburini, & memoriæ Hospit. de Fighin.

II.

Saluator à Sancto Salui Quadragesimus Octauus Generalis Vallisumbrosæ Regiminis habenas suscepit anno Domini 1579. ætatis suæ 48. de Mense Maij recurrentibus

bus

bus tunc temporis comitijs Generalibus in Monasterio Passiniani, & quidem Patres vocales elegerunt eum plenis votis, vtpotè quem apud se supra cæteros candidatos commendatum haberent tam in genere moris, quàm in genere Doctrinæ, de quarum commendatione adhuc Iunior vix annum 23. attingens Decanatus honore fuerat insignitus in Monasterio Vallisumbrosæ, quod officium dumtaxat cæteroqui à Patribus maturioris ætatis solebat exerceri: Quantùm ad scientias nedum Philosophiam, & Sacram Theologiam didicerat, sed & illas docuerat, nec cessauit docere quantumuis posteà promotus ad gradum Abbatis, copulauit enim Abbatis Officium cum ipso officio Lectoris legens subditis suis scientias speculatiuas: Bis Gubernauit Abbatiam Sanctæ Praxedis de Vrbe, & cum secundò esset Abbas illius Monasterij inter Theologos Consultores Sacræ Congregationis Indicis fuit cooptatus, & Cardinalium cætui valdè carus; sed specialem gratiam promeruit apud Sanctum Carolum Borromeum Titularem tunc Sanctæ Praxedis, qui eius Abbatiatus tempore exornauit Ecclesiam, & prouentus aliquos Monasterio assignauit. Qandoqui-

Archiuium Ripulens. Arnoldus Vuion in Catalog. General. tom. 1. cap. 35. pag. 57. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 75 pag. 328.

quidem tunc annexa erant officia Abbatis & Procuratoris Generalis in Curia Romana, ipſe Saluator Procurator, & Abbas ſimul, æquè fuit ſollicitus de Domeſticis rebus Monaſterij eiuſdem Sanctæ Praxedis, ac de Publicis negotijs totius Congregationis, cui inter cætera beneficia hoc ſingulare præſtitit, quòd Depoſitariam Generalem liberauit ab onere ſoluendi plurimos decurſos bimeſtres, & non ſolutos, impetrata ſuper hoc Indulgentia ampliſſima ab Apoſtolicæ Sedis Miniſtris, & inſuper aſſequutus eſt pro futuris temporibus diminutionem eorundem onerum; Si quæras quid fecerit amplius in beneficium Religionis? Et quid non fecerit? Reſpondebit interroganti Eudoxius Locatellus. Conſule illum humaniſſime Lector, & intelliges quàm benè ſortitus ſit nomen Saluatoris, qui propemodum videbatur datus à Deo in ſalutem Reipublicæ Vallumbroſanæ.

III.

Antiq. Memoriæ S. Reparatæ de Marradio, & Arbor Vallumbroſana Aſcan. Tamburini.

Venerabilis Sanctes Fabronus artem militarem prius in ſæculo ſequutus, poſteà meliori conſilio Chriſti Militiæ nomen dedit in Religione Vallumbroſana. Aliquandiù vixit in Monaſterio Sanctæ Reparatæ pro-

pè

pè Marradium Patriam ſuam ,cuius Abbatiæ & Abbas proceſſu temporis eligitur ; Sed ipſe à dignitatibus alienus Nuncium remiſit oblatæ Prælaturæ proteſtatus in Cinere, & Cilicio ſe velle mori , vt autem id melius conſequi poſſet de Marradio diſceſſit , & in Monaſterio Sancti Benedicti in Alpibus ſe recepit , in loco veræ ſolitudinis , vbi Diuinis Contemplationibus Ieiunijs Vigilijs , & omnibus corporis cruciatibus aſſiduò vacauit perſeuerans in eo vitæ genere vſque ad vltimum vitæ ſpiritum , quem tandem ſuo reddidit Creatori circa annum Domini 1485. magna poſt ſe relicta fama Sanctitatis, adeòut non tam Sanctes, quàm verè Sanctus potuerit appellari. Cernitur adhuc in eodem Cœnobio Sancti Benedicti eius Imago in antiqua Pictura , quæ dextera manu geſtat Chriſtum Crucifixum , & eius memoriam reperies etiam adhuc apud deſcendentes huius familiæ de Fabronibus.

IV.

Sanctes de Valoribus Peruſinus Valliſumbroſæ Monachus, & digniſſimus Abbas ſupradicti Monaſterij Sanctæ Reparatæ de Marradio, vir fuit in Sacris Litteris plurimum

Abbas Didacus de Franchis in Citatione Auctorum ſub Init. ſuæ hiſtoriæ Archiuium Ripul.

mum verſatus, & in humanioribus pariter valdè peritus, & Academicus clarus, nec non morum honeſtate conſpicuus, ſcriptor etiam non vulgaris edidit circa annum 1506. Vitam Sancti Ioannis Gualberti, & librum cui titulus, *Peregrinatio Vitæ humanæ*, ac alia miſcellanea, vt apparet ex eius operibus. E ſua autem peregrinatione cum didiciſſet quòd nos peregrinamur à Domino, & quòd hic non habemus Ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus iter ipſe ſuum direxit in illam Cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt Patria noſtra, in qua tandem inuenit terminum longę peregrinationis ſuæ circa finem quinti ſæculi Religionis.

V.

S. Silueſter Auximanus egreſſus dicitur à nonnullis, & quidem probatis Auctoribus ex Syluis Valliſumbroſæ, ac propterea Venerabilis Congregatio Patrum Silueſtrinorum ramus appellatur Arboris Vallumbroſanæ, quæ ſimilis primùm grano ſinapis, quod minimum omnibus oleribus poſteà in tantùm creuit, vt ſuper ramos eius habitauerint, & nidificauerint nedum Aues ordinariæ, & volucres Cœli, ſed ipſæ Aquilæ Magnarum Alarum, hoc eſt

Arnoldus Vuion in Ligno tom. 1. lib. 1. cap. 41. pag. 60.

gran-

grandes Animæ Sanctorum; Vnde ex tali mystica nidificatione noua fæcundaretur prole filiorum Sancta Romana Ecclesia; Audiatur in hac re præ cæteris Scriptoribus Arnoldus Vuion Monachus Belga Monachalium Congregationum accuratus Indagator, & peritissimus scriptor, ipse enim in Testimonium allati asserti sic ait. *Circa annum Incarnationis Dominicæ* 1232. *exorta est Venerabilis Congregatio Monachorum Siluestrinorum sub Regula Sancti Patris Nostri Benedicti, & ordinationibus habituque Monachorum Vallisumbrosæ: Sumpsit autem initium apud Montem Fanum propè Fabrianum tertio ab Vrbe Lapide per D. Siluestrum Cozolinum Auximensem Ciuem Doctorem, & Canonicum Religiosissimum.* Quid mirum igitur si Alexander VII. Pontifex Maximus agnoscens huius veritatem historiæ, videlicet Congregationem Siluestrinorum esse membrum Vallumbrosanæ illi tanquam suo capiti vniendum censuit?

VI.

Siluester de Benedictis Ciuis Bergomensis, Monachus & Abbas Astinensis, ex Abbate eiusdem Abbatiæ Sancti Sepulchri de Astino Electus fuit Episcopus Castoriensis, vt refert in primis Bartholomæus de Pere-

Vineà Bergomen. par. 1. cap. 191.
Archiuium S. Sepulchri de Astino.

grinis in ſua Vinea ſic dicens : *Multùm profuit huic Vineæ Bergomenſi Reuerendus D. Silueſter de Benedictis Profeſſus Abbatiæ Sancti Sepulchri de Aſtino, & poſteà Epiſcopus Caſtorienſis ; Hic pijſſimus vir hanc Abbatiam optimè gubernauit quaſi annos triginta ſex, & eam amplificauit, & in optimum ſtatum redegit, & multa alia memoranda fecit quæ breuitatis cauſa omittimus, anno tandem* 1511. *nonis Ianuarij obijt in Domino, & à Monachis ſuis in Eccleſia dictæ Abbatiæ honorificè ſepultus eſt.*

VII.

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ to. 2. lib. 3. pag. 267. Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 18. Eudox. Locatell. lib. 2. cap 51. pag. 306.

Beatus Simeon Monachus rari propemodum exempli apud Monachos Vallumbroſanos, ſed præcipuè apud Monachos Sancti Saluij in quo Monaſterio diutius eſt commoratus, ibi enim ſicut ſol inter ſtellas, ſic iſte effulſit inter reliquos Cœnobitas illius Sacri Cœnobij, ad obedientiam promptior, ad exercitia charitatis feruentior, in ſui contemptu humilior, inceſſu grauior, & in loquendo verecundior, magis auſterus in Ieiunijs, magis aſſiduus in orationibus, in quibus eleuatus quandoque ſublimis à terra extaſes patiebatur mirabiles. Orauit ſpecialiter ad Deum Patrem Omnipotentem vt ſibi dolores, & infirmitates plurimas, & maxi-

maximas immitteret in hac vita, dummodo Purgatorium pro alia vita poſſet euadere, & cum per aliquot annos antè mortem varijs excruciatus ſit morbis, & doloribus, piè credendum eſt, quòd ſicut exaudita eſt quoad primam partem deprecatio eius, ſic & quoad ſecundam, vnde ſtatimac anima huius Beati Simeonis egreſſa eſt de corpore rectà euolauerit in Cælum abſque alia purgatione, vtpotè quæ à tot cruciatibus in corpore perpeſſis fuerit iam purgata ſatis, & hoc aurum myſticum igne tribulationum ſatis examinatum, & mundatum in terris immediatè fuerit aptum pro conſtruenda illa Cæleſti Ieruſalem, quæ eſt Aurum Mundum ſimile vitro Mundo, obijt Beatus Simeon die 14. Auguſti 1509. ſub Generalatu D. Blaſij de Milaneſijs, vt ferunt Tabulæ Valliſumbroſæ, & Scriptores Ordinis, ſed audiamus iam Martyrologium Benedictinum in quo ſic habetur. *Decimo Kalendas Septembris in Cœnobio Valliſumbroſæ Beati Simeonis Monachi eiuſdem Ordinis, qui varijs infirmitatibus corporis in hac vita precibus à Deo impetrauit affligi, ne Purgatorium pateretur poſt mortem.*

VIII.

Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ tom. 1. lib. 1. pag. 55.

Venerabilis Simeon de Gauille Monachus Vallisumbrosæ in Tuscia humili loco natus, nobilissimas tamen dotes nactus à natura, & à gratia sin minus illustris à sanguine Auorum, Illustris certè fuit, & valdè nobilis de suo; Quid enim virtute, quid ingenio nobilius! Profectò nobilius est accersere generi, quàm ab eo nobilitatem accipere, vel vt simpliciùs loquar, genus suum nobilitare, quàm ab eo nobilitari; Nobilitauit autem Simeon de Gauille præclaris virtutibus suis, non modò seipsum, & Agnates, sed & Patriam, & Religionem; In linea enim litteraria nulli sui temporis fuit secundus; Quinimmò in Philosophiæ, ac Theologiæ facultatibus specialitèr sapientissimum quemque Vallumbrosanorum superauit, quemadmodum etiam in linea prudentiæ, & in linea moris cęteros successiuè coętaneos semper antecelluit: Cogitans magnam construere molem ędificij spiritualis, iuxta monita Diui Bernardi, de fundamento prius cogitauit humilitatis, quod vt altius foderet procul ab omni dignitatum culmine humilem Eremitam agere destinauit in solito Ere-

Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 15. Locatell. lib. 2. cap. 2. cap. 42. pag. 267. Archiuium Ripulen.

Erèmitorio Cellarum propè Cœnobium Vallisumbrosæ, vbi aliquandiu vixit omninò silentiarius: At quia lucerna hæc lucens, & ardens latere non debuit in caliginoso loco, & sub modio, digna, quæ poneretur super candelabrum, vt à propè melius alijs præluceret, hinc ad Abbatiale munus exercendum vocatus est, & deputatus Abbas Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ, quem gradum inuitus ipse, & multùm reluctans ex pręcepto Superiorum suscepit, sicuti posteà ex solo precisè motiuo obtemperandi Diuinæ Voluntati, & obsequendi Venerabilium Patrum petionibus, ipsam continentibus coactionem, suscepit regimen totius Vallumbrosanæ Congregationis post obitum B. Michaelis; De sublimitate talis gradus suarum virtutum radijs magis magisque Simeon effulsit, nedum coram oculis Monachorum, & Populi, sed in conspectu Purpuratorum, & Principum; Vnde Petrus Corsini Episcopus Portuensis, Philippus Caraffa Titulo Sancti Martini in Montibus; Agabitus Cardinalis Columna Titulo Sanctæ Priscæ. Thomas Minorita Cardinalis Sancti Laurentij in Damaso: Franciscus Prægnanus Neapolitanus

litanus Nepos Vrbani VI. & Cardinalis Decanus, & multi alij, quorum hic longum eſſet texere nomina, ſummoperè colebant Simeonem Noſtrum, vt apparet ex eorum ad eumdem datis Epiſtolis; Quinimò etiam ipſe Summus Pontifex Vrbanus VI. permagni eum æſtimauit, vſus eius opera in arduis tractandis negocijs in obſequium Sedis Apoſtolicæ, Legati etiam Pontificij titulo ei collato, qua auctoritate in Aemiliam præcipuè aliquando miſſus Gauilla, decertantes inter ſeſe Ariminenſes, & Rauennates ad concordiam reuocauit, & Prouinciam illam bellorum tumultibus diù agitatam priſtinæ tranquillitati reſtituit; Tandem deficiente Oleo humidi radicalis ex ardentiſſima Febri Gauillæ Viſceribus accenſa deficere cæpit tam clarum ſapientiæ lumen donec in totum nobis extinctum apparuit, niſi fortè Ecclypſim potius dicatur paſſum quoad nos, cum in ſuperiori Cœli parte prælucere pijſſimè credendum ſit in perpetuas æternitates: Fuit Simeon de Gauilla in ſerie Generalium Valliſumbroſæ Vigeſimus quintus, & hunc gradum tenuit annos 17. creatus enim anno 1370. obijt anno 1387.

Vene-

T

I.

VEnerabilis Tertius nomine appellatus est Generalis Decimus tertius Ordinis, & vir fuit admodum doctus, ac eruditus, præsertim in Sacris Paginis adeò versatus, vt veteris, & noui Testamenti nobile scrinium videretur, ex quo ad Erudiendos Monachos in sermone etiam familiari scripturales textus, & sententiæ passim deducebantur, vt verò ad eamdem Sacræ Scripturæ perfectam, & immediatam cognitionem duceret omnes sibi Subditos statuit certas quotidiè horas in lectione sacra per eos omnino transigendas, quippèqui benè nosceret quanti esset momenti piorum librorum lectio non intermissa, quæ dicitur vera refectio animarum, & necessaria substentatio spiritus; Transgressiones præcipuè grauiores non est passus dimittere impunitas, at dum plectebat Crimina, reos complectebatur, & vt alacri animo delinquentes accederent ad subeundam pænam pro delictis impositam, illis representabat Augustini Sensus dicentis ad Dominum; Domine

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ tom. 1. lib. 1. cap. 34. pag. 54.
Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 8.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 24 pag. 225.

ne hic vre, hic seca, vt in æternum pàrcas, subdens iuxta eamdem sententiam, melius esse puniri in hoc sæculo quàm in futuro, & tanta pollebat in dicendo suauitate, & gratia, vt datus videtur ad consolationem Mærentium animorum: Fuit supra modum prouidus erga Infirmos, senes, & imbecillioris naturæ Monachos sicuti erga Hospites, & Peregrinos, vnde tot Misericodiæ operibus stipatus hilari fronte poterit in die Iudicij accedere ad Tribunal Christi auditurus ab eo illud amabile inuitatorium. Veni percipe Regnum æternum; Sed neque in hac Vita caruit præmio eius eximia virtus, glorificauit enim eum Dominus in conspectu Regnum, & Principum, apud quos tantã inuenit gratiam, vt ab Henrico V. Imperatore inter Aulę familiares fuerit ascriptus, & in Ethruria deputatus ad Vices gerendas Ministri Cæsarei pro tractandis Imperij Negotijs, & gratior fortè fuit Vrbano III. & Clementi III. Romanis Pontificibus, quorum tamen amorem, & beneuolentiam vnicè vertebat ipse in vtilitatem Religionis, cui, & Imperialia, & Pontificia Priuilegia non pauca obtinuit, & etiam nouis Monasterijs illam ampliauit; Tandem de Val-

lum-

lumbrosana Congregatione plurimum benemeritus completo Vndecimo sui Regiminis anno migrauit è vita die 26. Iunij anno 1190.& apud alios Patres Venerabiles humatus fuit in Valleumbrosa .

II.

Theodorus Baldini de Castilione Florentino Septuagesimus secundus Generalis Ordinis Vallisumbrosæ Generalatus brauium consequutus est recurrentibus comitijs generalibus anno 1671. in cursu, & concursu cum doctissimo admodum Viro D. Epiphanio Giorgi de quo dictum est supra littera E. Et hæc sit eximia laus facultatis ęconomicæ, qua pollebat in præcellenti gradu idem Baldinus, cum præualere ipsa potuerit omnibus facultatibus speculatiuis in alio concurrente repertis, Nam eo tempore quo Vallumbrosana Religio in temporalibus erat deteriorata melius ei consuli videbatur, si loco insignis Theologi præficeretur insignis Oeconomus, qui in hac parte ad meliorem statum ipsam reduceret, id autem satis benè præstitit Generalis Baldinus, quinimmò Congregationi decorandæ plurimum intentus Sanctissimi Patris Nostri Ioannis Gualberti ritum, & aliorum Sanctorum Ordinis

Archiuium, Cœnobij Vallisumbrosæ, & Ripulen. & Sanctissimæ Trinitatis, & passim Memoriæ Religionis & lib Memoriar Archiospital: Innocent.

nis mirificè propagauit, impetrata extensione officij eiusdem Sanctissimi Institutoris ad omnes vniuersaliter in Ecclesia Dei, qui tenentur ad horas Canonicas; Officijs verò Sancti Petri Ignei Cardinalis, & Episcopi, Sancti Gregori Papæ VII. & Sanctæ Verdianæ Virginis impetratis ex integro à Sacra Rituum Congregatione pro Vallumbrosanis, pro quibus impetrauit etiam à Serenissimis Ethruriæ Principibus Antiquissimam Christi de Cruce pendentis Imaginem Miraculosè olim inclinatam Sancto Patri Nostro Ioanni Gualberto, quam ipse Baldinus mox processione solemni, & magna cum pompa de Ecclesia Sancti Miniatis ad Ecclesiam transtulit Sanctissimę Trinitatis Florentiæ, vbi ad Altare maius fuit honorificentissimè collocata, & singulis annis in die Parasceues accensis Cereis, & quidem plurimis populo exponitur adoranda, concurrentibus vndique Ciuibus, & suburbanis ad eius adorationem: Præterea cum Generales Vallisumbrosæ incederent cucullati quemadmodum alij Monachi: Theodorus obtinuit pro se, & Generalibus futuris priuilegium à Sede Apostolica deferendi habitum Prælatitium, vt constat ex Bre-

ui

ui ſuper hac re Felic. Memor. Clementis Papæ X. Cuius exemplaria aſſeruantur in Archiuio Sanctæ Praxedis de Vrbe ; Functus vt fuit Baldinus officio Generalis non defuerunt ei alia officia, & quidem honorificentiſſima etiam extra clauſtra, à Magno Ethruriæ Duce Sereniſſimo Coſma III. vltro illi collata ; Nam præter quamquod ſuper curam Prædiorum Allodialium Sereniſſimæ Domus eſſet conſtitutus, Inſuper Vniuerſalis Miniſter, ſeu Prior, quem vocant Equitum Sancti Stephani fuit electus, quod Miniſterium cæteroqui alicui tantùm ex dignoribus eiuſdem Equeſtris Ordinis ſolet conferri, & cum tot tantiſque negotijs eſſet implicatus, quia in agibilibus vix habuit parem, accedente etiam ad proceritatem naturæ firmitate Virim, & optima corporis valetudine omnibus fuit ſatis : Hac adminiſtratione per aliquot annos laudabiliter peracta, ne in detrimentum Reipublicæ ociaretur eius æconomica virtus ad aliam pariter honorificentiſſimam curam deſtinatur ab eodem Sereniſſimo Magno Duce, quæ ſimiliter non niſi à conſpicuis viris exerceri conſueuerat, nempè ad præfecturam Magni Hoſpitalis, ſeu magnæ Do-

mus, quæ vulgariter Florentiæ dicitur, *degl' Innocenti*; Hoc eſt infantium Proiectorum, vbi extra Religionem poſitus Religionis tamen retento habitu, ac Titulo Abbatis iuxta formam Decreti emanati à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, aliquandiù præfuit non ſine incremento notabili illius Loci Pij, è quo ad maiora vocatus, & ab Eodem Sereniſſimo Magno Duce poſtulatus Epiſcopus Volterræ, parum abfuit quin eam quoque dignitatem non obtinuerit: Sed ipſe ſua ſorte contentus altiora petere non præſumens in eodem ſtatu permanſit, donec ætate grauis propè Octuagenarius ſentiens in dies ſibi vires deficere, & Præſagus fortè ſuæ mortis in proximo futuræ, & in puluerem ſe reuerſurum, antequam reuerteretur in puluerem facultatem petijt ab Eodem Magno Duce Sereniſſimo redeundi ad Clauſtra ſuæ Religionis, in qua abdicatis omnibus alijs rerũ temporalium curis, ſolùm curæ ſpirituali animæ ſuæ Incumberet, quo facto paucos poſt Menſes obijt in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis anno 1686. de Menſe Iunij, ibique in puluere dormit, expectans Carnis Reſurrectionem in die Iudicij.

Beatus

III.

Sanctus Thesaurus Beccaria sic attestante Alphonso Ciacconio, Papiæ natus, Monachus primo, deindè Generalis totius Ordinis Vallisumbrosæ, ab Alexandro Papa IV. Cardinalium Senatui ascriptus est circa annum Domini 1257. Fuit vnicus Cardinalis, quem creauit Alexander IV. in decursu sex annorum cum dimidio Pontificatus sui, & in vno Thesauro Thesaurum expleuit creatiuæ virtutis suæ. Cardinalis igitur renunciatus mittitur ad Florentinos Titulo Apostolici Legati pro pace tractanda inter factionarios Ghibellinos, & Guelphos, sed ab ijs martyrio affectus, & capite truncatus Cardinalitiam vestem proprio Sanguine gloriosius purpurauit, sed audiamus Martyrologium Benedictinum, in quo dum annunciatur eius Martyrium, satis ampla, & Autentica huiusmodi Historiæ habetur confirmatio his Verbis. *Pridie nonas Septembris Sancti Thesauri Abbatis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui summo loco, & gente Beccaria Papiæ Ortus, & Monachus primùm, deindè Abbas & Generalis totius Ordinis Vallisumbrosæ effectus, postremò ob insignes animi dotes ab Alexandro Papa Quarto* Cardi-

Sansouin.lib. 1.Illustr.familiar.
Italia fol. 157.Io.Villan lib. 6. histor. cap.66.
Volaterran. lib.20. Antropolog.
Ciaccon. tom. 2. in Vita Alexandri Papæ IV.
Bernard.del Sera in suo Compendio pag. 10.
Eudox. Locatell lib.2. cap. 30. pag. 241.
Lignum Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 290.in Martyrolog. Benedictinũ,& etiam tom.1. cap.34.pag. 54.

Cardinalis pronunciatus, & Florentinis Legatus datus, vt Ghibellinorum, & Guelphorum inter se concertantium partes componeret ab ijsdem dolo, & suspicione capite truncatus Martyrij Coronam accepit. Hoc idem probat Florentiæ peruetusta Imago eiusdem Beati Palmã manu Gestantis cum hac Breui inscriptione *Sanctus Thesaurus Cardinalis, & Martyr*, Martyr item dicitur à Sansouino, Volaterrano, & alijs scriptoribus qui citantur in margine. Post eius Martyrium corpus delatum fuit à Monachis Vallumbrosanis ad Cœnobium Vallisumbrosæ; In quo agro secundum sui partem fuit absconditus iste Euangelicus Thesaurus, dum secundum aliam partem sui in Cælestes Thesauros per manus Angelorum est deportatus. Quod si iuxta Euangelij effatum vbi Thesausus noster est, ibi & cor nostrum erit, in Cælo necesse est cor esse nostrum, dum ibi nostrum habemus Thesaurum, & quidem non deficientem pro subleuanda inopia nostra.

IV.

Thesaurus Veli alter huius nominis Generalis dignissimus Ordinis Vallisumbrosæ in serie GeneraliumQuinquangesimus septimus de an. 1613. eam dignitatem est consequutus,

&

&c quidem iure, cum meritum dedisset ei Ius amplissimum ad Rem, inter merita autem eius illud non vulgare fuit, quòd anno proximo præcedenti ad Capitulum, hoc est anno 1612. in lucem dederit, cum esset Abbas Sanctæ Praxedis de Vrbe Vitam Sancti Bernardi Vberti Cardinalis [1], & Parmensis Episcopi, quam dedicauit Cardinali Odoardo Farnesio, vt apparet in fronte libri, & quam ipse melius in se ipso viuæ imitationis penna, & stylo descripsit. Igitur cum Ordo Vallisumbrosanus dederit in Thesauro Veli doctum scribam, & nouum exemplum Veteris Historiæ Sancti Bernardi, quis neget ordinem ipsum assimilari posse Magno illi Patri familias qui profert de Thesauro suo noua, & Vetera? Et quis ambigere poterit an scriptor ipse sit scriba doctus in Regno Cælorum? In illo verò Regno tunc apparuit cum diuiso à corpore, per mortem spiritu, scissum est hoc Veli Velum in duas partes à summo vsque deorsum.

Archiuium Ripulense. & memoriæ Religionis Vita S. Bernard. edit. Romæ per Guilielm Facciotti de an. 1612.

V.

B. Theuzo Sancti Ioannis Gualberti Discipulus in Diuinis Scripturis valdè eruditus, & humanarum litterarum non ignarus,

mo-

moralium virtutum fuit decore insignis, & præsertim in Exercitijs Charitatis erga Infirmos spectabilem se se reddidit; Vnde à Sanctissimo Magistro suo super cura Infirmorum præpositus, quanta diligentia, & studio ęgrotantium saluti diù noctuque incumberet, quanta eos benignitate foueret, quàm aptè colloquiorum amenitate spiritualiter illos recrearet, vix est vt credas. De cura posteà corporum infirmorum vocatus ad curam animarum præficitur Abbas Abbatiæ Radiolensi in Fesulana Diæcesi, quam plures annos Sanctissimè gubernauit, & interim exemplo Sanctorum Patrum præcipuè Eusebij Discipuli S. Hieronymi, & Possidonij Calamensis Episcopi Sancti Augustini Discipuli, qui gesta suorum respectiuè Magistrorum scripsere ad fidelium ædificationem; Ipse Beatus Theuzo descripsit primò Vitam sui Magistri Sancti Ioannis Gualberti, & etiam commentatus est Regulam Sancti Benedicti, obdormiuit in Domino anno salutis 1095. tempore Vrbani Papæ II. & Honorij IV. Imperatoris, cuius Natalem diem annuncians Martyrologium Benedictinum pro die 6. Augusti sic ait *Septimo Idus Augusti Beati Teuzi Abbatis Ordinis Vallisum-*

Arnoldus Vuion in Lign. Vitæ tom. 2. lib. 3. pag. 263.
Bernard del Sera in suo Compendio pag. 5.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 8. pag. 194.

lisumbrosæ Discipuli Sancti Ioannis Gualberti Doctrina, & sanctitate clari :

VI.

Timotheus Monachus Sanctæ Praxedis de Vrbe vir æquè doctus ac Pius Claruit sexto Sæculo Religionis Vallumbrosanę ab Officio præsertim valdè honorifico Pænitentiarij, quod exercuit in Patriarchali Basilica Sanctę Marię Maioris ijs temporibus quando à varijs Religionibus assumebantur promiscuè ad id exercendum munus, quos posteà Beatus Pius Papa V. Solis Patribus Dominicanæ Familiæ commisit, seruata tamen consuetudine assumendi anno Iubilæi item ex alijs Religiosis de Vicinioribus Conuentibus, ac Monasterijs in àdiutorium eorundem Patrum, vt benè satisfiat Multitudini Concurrentium Populorum; Vnus autem ex ijs Pænitentiarijs assumptis tempore vltimi Iubilæi celebrati anno 1675. Fuit D. Stephanus Brancoli dignus Parochus S. Praxedis, & nunc simul Abbas de Titulo Abbatiæ scilicet Titularis Sancti Andreæ de Candelis propè Florentiam, cui propterea datæ fuerunt ab Eminentissimo Cardinali summo Pænitentiaro Litteræ Patentes in Pergamena, quæ asseruatur adhuc apud ipsum

Lib. Memoriarum, & alia documenta S. Praxedis de Vrbe.

Abbatem Brancolum; Sed vt redeamus ad Timotheum non solùm fuit ipse vnus ex Pænitentiarijs Sanctæ Mariæ Maioris, sed & Decanus Pęnitentiariorum, etenim vixit vsque ad annum nonagesimum quintum ætatis suæ, quod totum apparet euidenter ex inscriptione apposita ad eius Lapidem sepulchralem in Ecclesia Sanctæ Praxedis, vbi non longè à Puteo Martyrum iacet sepultus, & est huiusmodi. *Hic iacet Thimotheus Monachus Sanctæ Praxedis, & Decanus S. Mariæ Maioris Vixit an. 95. Obijt an. 1565.* Paulus Apostolus scribens ad Timotheum suum Epistola 1. cap. 4. Sic eum hortatur attende tibi, & Doctrinæ, attende Lectioni, & Exhortationi, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt: quæ verba cum sibi etiam dicta putauerit Timotheus noster, Sanctissimis monitis diligenter obtemperauit, vnde sicuti piè credendum est saluos fecisse accedentes ad se, sic se ipsum saluum reddidisse, Et Confessarius in terris meruerit annumerari inter Beatos Confessores in Cælis.

VII.

Thomas Dauanzati ab Illustri equestris Ordinis Familia clarus, clarior indè fuit ab ani-

animi Dotibus, & raris vitæ Exemplis, quibus ſibi promeruit omnes Religionis dignitates etiam ſupremam Generalatus, ad quem gradum fuit euectus in Magna Patrum Lętitia recurrẽtibus comitijs generalibus de an. 1629. & in numero Generalium tenuit ſexageſimũ primum locum, abſoluto vero Generalatus quatriennio alijs ſucceſſiuè præfuit Abbatijs, pręcipuè Sancti Michaelis de Piſtorio vbi migrauit circa medium currentis ſęculi.

Archiuium Ripulenſ. & Memoriæ S. Michael. de Piſtorio.

VIII.

Beatus Torellus Puppij, quod eſt nobile oppidum in Ethruria, pijs honeſtiſque parentibus natus licet à Pueritia bonis artibus, & moribus inſtructus ſenſim tamen poſtea ad mundi illecebras declinauit. Cùm autem die quadam alijs coætaneis aſſociatus antè Domum Amaſiæ colluderet factum eſt, vt Gallus è feneſtra proſiliens, & ad brachium eius aduolans ter ediderit cantum, quo ſigno quaſi alter Petrus experge factus à ſomno culpæ, vitæ ſuæ turpidinem agnoſcens relicto ludo, & ſodalibus fleuit amarè: Mox ad Abbatem Sancti Fidelis de Puppio Ordinis Valliſumbroſæ ſeſe contulit, à quo habitum Oblatorum ac pęnitentium humiliter impetrauit, tunc vendita-

Siluān. Razzi in Sanctis Ethrur.
Lignum Vitæ tom. 3. pag. 36.
Bucellin. in ſuo Monolog.
Bolland: in Actis Sanctor. tom. 2. ſub die 16. Martij.
Bzouius in Annal. to. 13. ſub an. 1282. num. 15.
Ferrar. in ſuo Martyrologio ad diem 16. Martij.
Dei Sera in ſuo Compen-
Locatell. lib. 2 cap 33. pag. 246.

Arsen. Barbon. in sua Panegir. typis Florent. mandata de anno 1673.

Vita S. Torelli in lucem edidita à Ioseph Scipion. Mannucci an. 1689.

re familiari, & in Pauperes pretio èrogato, vt liberius Deo vacaret in solitudinem vulgo Auellanetum dictam incunctanter secessit, vbi exiguo extructo tugurio per sexaginta circiter annos in summa vitæ asperitate est commoratus; Nam Suinum Corium supra nudam carnem imponens semitonsis setulis aspidum, & catena ferrea se ipsum discruciauit, & iugibus lacrymis Diuinam Indulgentiam promereri satagebat. Ad victum quatuor hordeacei Panis vncias per diem cum duobus aquæ Cyathis adhibebat, & sæpe Ieiunus biduo permansit, somnum vix trium horarum carpebat vel super spinis, vel super tortuosis sermentis, & caput supra rude saxum reclinabat; Eius inuidens Sanctitati humani generis hostis, ipsum à Sancto proposito varijs insidijs, & tentationibus, & præcipuè apparitionibus formosæ Puellæ auertere conabatur, sed vir Dei edoctus ab Euangelij monitis hoc genus pręcipuè Dæmoniorum eijci in Oratione, & Ieiunio, huiusmodi armis munitus semper reiecit Dœmonis artes; Miraculorum gratia fuit illustris, & præsertim videbatur datus à Deo in Protectorem, & Aduocatum contra ferinam rabiem Luporum,

rum, de quorum faucibus plures Clusentinæ Regionis Pueros miraculosè liberauit, vt fusius videre est in vita Sancti Torelli iam secundo copiosius descripta à Reuerendo Presbytero D. Iosepho Scipionis Mannucci Puppiensi de anno 1689. Florentiæ Typis mandata in Typographia Vincentij Vangelistę: Beatus Torellus autem iam senio confectus, & tot tantisque corporis cruciatibus maceratus spiritu Prophetiæ non carens, quo Venturam à se Virginem obsessam præcognouit, & Signo Crucis liberam à Dęmone dimisit, Hoc antè obitum patrato Miraculo, & de fælici transitu ab Angelo prius admonitus Sacramentis Ecclesiæ indè munitus, Campanis Puppij sponte sonantibus propè Octuagenarius deuotissimum spiritum Deo reddidit anno Reparatæ salutis 1282. die 16. Martj, pro qua die Martyrologium Benedictinum annunciat festum eius dicens *Decimo septimo Kalendas Aprilis Sancti Torelli Conuersis Vallumbrosani, & Eremitæ miraculorum gloria clarissimi*. Cùm verò esset orta controuersia inter Clerum, & Monachos de danda Sacro eius corpori sepultura certantes ex vtraque parte illud deferre ad Ecclesiam respectiuè suam; factum est, vt à nemine

mine

mine præterquam à Sancti Fidelis Abbate ipſum loco moueri potuerit, quo ſigno manifeſtè ſignificauit B.Torellus quòd à Monachis ſuis vellet humari, ſic deciſa lite cum Clero ſæculari, ipſo tamen aſſociante, & comitante Populo, Abbas cum Monachis pacificam paſſionem accepit ſupra cadauer, & illud ad Eccleſiam Sancti Fidelis detulit ſepeliendum ſicut mox ſepeliuit non ſine preuijs antequam ſepeliretur editis ad eius feretrum Miraculis, quæ fuſius videnda ſunt in eius Vita iam ſupra citata, in qua, & poſtea pro decurſu temporis multo plura narrantur in beneficium Populorum inuocantium nomen Sancti Torelli pro neceſſitatibus ſuis: ſuper eius ſepulchrum fuit erectum Altare, in quo ab immemorabili ſumma cum veneratione colitur, & ſingulis annis dies feſtus ſolemni rito celebratur cum Veſperis, & Miſſa, ac Panegirico in eius laudem, & inſuper ad eius laudem fit Proceſſio ſolemnis per totam Terram Puppij, & Caput eius in argenteo buſto incluſum defertur ſub nobili Vmbella, ſeu Baldacchino, vt vocant, haſtas illius geſtantibus dignioribus de Magiſtratu eiuſdem Oppidi, Proceſſionem comitantibus nedum

Inco-

Incolis Puppienſibus, ſed & omnibus ferè Cluſentinæ Prouinciæ populis, qui conueniunt ad ſolemnitatem. Ex infinitis penè Auctoribus, qui agunt de Sancto Torello, & per extenſum citantur à Reuerendo Præsbytero D. Ioſepho Scipionis Mannucci, paucos admodum citabo in margine, ne marginem impleam per totum citatione Auctorum, & limites etiam in hac parte tranſgrediar à me propoſitæ breuitatis.

Vene-

V

I.

VEnerabilis Valentinus nomine dictus est Decimus Sextus Generalis Ordinis Vallisumbrosæ, summę vir integritatis, ac doctrinę ęmulator Insignis Prędecessorum suorum nihil intentatum reliquit, quod animaduerteret vtilitati Congregationis esse consentaneum, Reputans imprimis sibi intimatum illud Apostoli: *Argue, Obsecra, Increpa in omni Patientia, & Doctrina*, iuxta hanc sententiam se se instituere conabatur circa Subditos corripiendos; quia tamen erat à natura ad misericordiam factus cum ex zelo Pastorali irascebatur misericordię recordabatur, & misericors in primis visus est erga eos delinquentes, quos reuersos ad cor de corde videbat pęnituisse delictorum suorum reseruans iustitiæ punitiuæ rigores contra rebelles, & contumaces in malitia sua pro consuetudine habens parcere subiectis, & debellare superbos. Assiduus fuit in meditationibus, & abstinentijs, ac ieiunijs, quę supra vires, supra ętatem diligentissimè obseruabat summoperè gratus Episcopo, ac Clero

Arnoldus Vnion in Catalog. Generalium Vallisumbrosæ tom. 1. lib. 1. cap. 34. pag. 54. Bernard. del Sera in suo Compendio pag. 10. Eudox. Locatell. lib. 2. cap. 29. pag. 233. Archiuium Vallisumbrosæ.

Clero Florentino ab eorum liberalitate dono accepit Ecclesiam, & Monasterium Sancti Pancratij circa annos 1246. Ab Innocentio IV. obtinuit in Ciuitate Tudertina Abbatiam Sancti Fortunati, & die 4. Martij 1249. ab eodem Pontifice sententiam fauorabilem in materia Iurisdictionis, & quidem decisiuam contra Episcopum Foroliuiensem. Demùm senio grauis Generalatu se abdicauit de anno 1252. & priuati Monachi vitam agere instituit, in quo statu biennium vixit, nam de anno 1254. die 13. Martij ex hac vita mortali transijt ad immortalem in Cœlo fruendam, & benè introiuit in Regnum Cœlorum, qui secundum monita Euangelica de magno per dignitatem, effectus erat per humilitatem paruus.

II.

Venerabilis Valentinus, huius nominis secundus, & in serie Generalium vigesimus, Generalatus apicem ascendit anno Christi 1277. dum esset Abbas Sancti Bartholomæi de Ripulis, Vir apprimè doctus, ac magnanimus, & Immunitatis Ecclesiasticæ vindex acerrimus; Vnde irrefracto semper animo pugnauit contra Sæcula-

res Magiſtratus, & Præpotentes viros iura Religionis tunc temporis potiſſimùm vſurpare tentantes. Aliundè verè Iſraelita, in cuius ore non eſt inuentus dolus, neque mendacium, numquam enim audiuiſſes eum, aut proximo adulantem, aut verba minus grauia proferentem, Lingua eius vti Lingua iuſti non loquebatur, niſi iudicium, & iuſtitiam, & reſponſa eius, reſponſa ſapiebant oraculi, magni propterea Principes illum ſuper arduis negotijs conſulere conſueuerunt, inter quos ipſe Summus Pontifex tunc Nicolaus III. id ſummoperè exoptauit, & cum Romam hac de cauſa eum vocaſſet, & in materijs etiam politicis tam benè diſſerentem audiuiſſet, renunciauit illum Legatum ſuum ad Florentinos, & ad alios Aemiliæ populos eo tempore cum Romano Pontifice Bella gerentes. In Legationibus autem ſibi iniunctis adeò valuit Valentinus in beneficium Apoſtolicæ Sedis, vt obſequentes ei reddiderit Vrbes, & Prouincias Aemiliæ anteà Rebelles, & in amicitiam cum Pontifice reuocauerit Populos Ethruriæ, & Rempublicam Florentinam: Benemeritus igitur non minus de Eccleſia vniuerſali, quàm de Religione

Arnoldus Vuion in lign. Vitæ tom. 1. lib 1. cap. 34. pag. 54.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 12.
Eudox. Locatell. lib. 2. cap 34. pag. 248.

ſua

ſua Vallumbroſana, quam ad viginti quatuor annos ſapientiſſimè gubernauit, tandem anno Chriſti 1301. migrauit è preſenti vita accepturus in futura condignam meritis ſuis retributionem à Domino.

III.

Venerabilis Valentinus Balduinus Nobili genere Florentiæ ortus, & in Vallumbroſana Religione ab adoleſcentia aſcriptus in ipſa vitæ ſuæ aurora reſplenduit, vt meridianus Sol inter Vallumbroſanos. Ad ſignum exaltationis cum perueniſſet exaltatus ad Generalitiam Dignitatem de anno 1656. in numero Generalium Ordinis 67. eſt dictus, tertius verò eiuſdem nomenclaturæ, cum neutri tamen ex duobus Prædeceſſoribus Valentinis in virtute ipſe fuerit Minor, quin etiam vel primo viſus eſt eſſe maior circa ſpecialem virtutem humilitatis, & ſui contemptus, nam ſi Valentinus Primus abdicauit ſe Generalis officio, id præſtitit ijs temporibus quando Generales erant Perpetui, & ipſe in vltima ſenectute, & poſtquam ad multos annos Religioni præfuiſſet. At Valentinus Balduinus maiori certè ſui contemptus exemplo nuncium dignitati remiſit eo tempore, quo

Archiuia paſſim Religionis præcipuæ Vallisumbroſæ, & Ripulenſ.

ſuperiores erant quatriannales vix incoato ſecundo ſui Regiminis quatriennio, quod & incoabat ex motiuo obedientiæ præſtandæ Summo Pontifici Alexandro VII. qui eum motu proprio in Officio confirmauerat. Tunc Balduinus ſolo contentus Abbatis titulo apud Archicœnobium Valliſumbroſæ ſibi viuere decreuit in ea ſolitudine longè ab Aulis Principum, à Populorum obſequijs, & à quibuſcunque Mundi honoribus; At dum Sol noſter ſe abſcondit in Vmbris Vmbroſæ Vallis, Magis magiſque ibi reſplenduit à Radijs virtitutum, & Sanctarum ſuarum operationum; Sine intermiſſione orabat, media nocte ſurgebat ad confitendum Domino, ſcilicet ad Matutinas Horas cum alijs recitandas in Choro, cui numquam prætermiſit intereſſe etiam diurno tempore ad Pſalmodiam aliarum Horarum. In ſeruando ſilentio nullus eo cautior, ad menſam nullus eo parcior, in corporis macerationibus nullus eo feruentior, numquam ceſſauit ab exercitio Patientiæ, Humilitatis, Obedientiæ, & Charitatis, quarum ſplendore coruſcus, mirum eſt quantùm in ea Valle omnibus præluxerit. Demum viſus eſt ad occaſum vergere iſte Clariſſimus Religionis Valliſumbroſæ myſti-

myſticus ſol, ereptus eſt enim ab oculis noſtris anno 1666. Sed ſimilitudinem aſſequutus cum Sole materiali iam creditur ortus in alio Emisferio, ſcilicet in Oriente Beatæ Aeternitatis, vbi in lumine gloriæ, lumine fulgebit numquam interiturus, niſi fortaſſis dicamus etiam redijſſe ad noſtrum Emiſferium, cum apparuit in eo D. Valentinus Calzolarius ad præſens digniſſimus Abbas Archicœnobij Valliſumbroſæ, in cuius morum & virtutum delineamentis adeò exprimitur Valentinus Balduinus, vt in Valentino Calzolario adhuc viuere, & fulgere ille videatur, vel ſi Valentinus Calzolarius non eſt idem cum illo ſole, certè eſt illius nobilis Parallelus, vt apparet conſideranti eius animi dotes, & virtutes.

IV.

Valerianus Salainus Præſidens Quatriennalis quinquageſimus Ordinis Valliſumbroſæ electus anno 1587. vir admodum doctus probitate morum admodum commendatus, & non minus prudentiæ laude quàm hiſtoriarum eruditione conſpicuus Problematicam reliquit quæſtionem, vtrum magis ad exercendas Religionis præfecturas, an ad hiſtorias conſcribendas à natura eſſet

Archiuium Ripul. & eius hiſtor. edit. in lucem. vna cum Scipione Ammirat. Arnoldus Vuion in ligu. Vitæ tom. 1. lib. 1 cap. 35. pag. 57.

eſſet Progenitus, conſcripſit enim vnà cum Scipione Ammirati Geſta Reipublicæ Florentinæ, Prioriſtam Monialium, & Catalogum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & Cardinalium Florentinorum, vt ex eius operibus.

V.

Archiuium Ripul eius Epiſt. edit. in lucem anno 1629.

Valerianus Rainerius Vallumbroſani Ordinis magnus Tehologus, & Verbi Dei declamator valdè celebris ſub initium currentis Sæculi cumulauit has dotes & prærogatiuas cum rara vtriuſque iuris Peritia, & Rituum Eccleſiaſticorum cognitione admodum ſingulari, & ſcripſit in hac materia librum, cui Titulus eſt Rituale Monaſticum Vallumbroſanum doctrinalibus Rubricis refertiſſimum, & fuit editum in lucem de anno 1629. vt apparet in fronte ipſius operis.

VI.

Siluàn. Razzi in Sanct. Ethrur.
Bernard. del Sera in ſuo Compendio pag. 15.

S. Verdiana Monialis Virgo ex Illuſtri Attauantorum progenie nata renaſci voluit illuſtrior in Religione Vallumbroſana, cuius profeſſa eſt Inſtitutum accepto habitu Congregationis Valliſumbroſæ ab Abbate Sancti Michaelis de Paſſiniano circa annum Domini 1192. Sed incluſorum rigorem amplexa

plexa in angusta Cellula se reclusit, seu potius tumulauit, & ibi Ieiunijs multis, vigilijs, & afflictationibus molli corpusculo durum nimis, & asperum viuendi genus indicens in eodem tenore constanter perseuerauit ad annos triginta vsque ad vltimum vitæ spiritum neque vmquam mutans locum, neque habitum, à vino perpetuò abstinuit, potumque linpha præbuit, humusque dura lectulum, & vixit inter Aspides, cum enim ad imitationem Magni Antonij, varijs erumnis exerceri amplius expeteret, bini Serpentes qui summo horrori tenerrimæ Virgini erant per fenestram Cellulæ ingressi ab ea deinceps, dum mensæ præsertim accumberet, non recesserunt, quin & grauiter caudis eam flagellabaut nisi & illi cibum porrigeret, aut eodem ex vase pasci sineret; Hoc dum Episcopus Florentinus, qui ad eam inuisendam venerat, expellere tentaret, ipsa ne tali patientiæ exercitio priuaretur exorauit; Imò & abscissas caudas illis restituit Crucis Dominicæ signo super eos formato, qui tamen S. Verdianæ magis infesti post acceptum beneficium extitere, Donec vno ab incolis interempto alter in posterum non com-

Eudox. Locatell lib. 2. cap. 32. pag. 236. Arnoldus Vuion in Martyrolog. Benedict. ad Kalend. Februarij tom. 2. pag. 37. Bollandus Bucellinus.

comparuit, ex quo Verdiana diem supremum sibi instare intellexit, vt paulo post accidit, nam trigesimo reclusionis anno Kalendas Februarij dum Psalmos Pænitentiales recitaret migrauit ad Cælestem Sponsum; Quidquid in contrarium dixerit aliquis; Diligentissimus certè Bollandus in eius vita eam absolutè ascribit Religioni Vallisumbrosæ, cui etiam ascribunt plurimi Alij Auctores Classici, vt Arnoldus Vuion in suo Ligno Vitæ: Bucellinus in suo Monologio, Ferrarius in suo Martyrologio, Siluanus Razzi in Sanctis Ethruriæ: Bernardus del Sera in suo Compendio Beatorum, Locatellus in sua Chronica, Cerbonius, Tamburinus, Salainus in suis respectiuè operibus, & roboratur amplius hæc assertio vltra auctoritates Scriptorum, ab Antiquis Monumentis Comprobantibus illam Vallumbrosanam: Extat enim in Ecclesia Sancti Pancratij Florentiæ Altare antiquum familiæ Attauantorum ex terra cocta trecentis ab hinc annis extructum, in quo est ad viuum sculpta Sancta Verdiana in habitu Grisei Coloris, hoc est Vallumbrosani Antiqui iuxta figuram Sancti Ioannis Gualberti expressi cum eodem habitu in ipsomet Altari. Cum eodem

dem insuper habitu Vallumbrosano inspicitur passim Beata Verdiana in alijs Ecclesijs, Oratorijs, & Tabernaculis in Ciuitate Florentina, Præterea extat in ea Vrbe Monasterium satis nobile Virginum sub titulo S. Verdianæ, in quo per tercentos circiter annos vixere sub Instituto Vallumbrosano, & vt verè Vallumbrosanam illæ Moniales coluerunt hoc tempore semper eandem Sanctam. Sed omnem eliminant dubietatem in hac re Sacræ Congregationis Rituum Decreta emanata de anno 1673. super approbationem Officij, lectionum, & Elogij apponendi in Martyrologio Romano, in quibus omnibus respectiuè appellatur Vallumbrosana. Verba autem Martyrologij sunt hæc: *Kalendas Februarij Apud Castrum Florentinum Beatæ Verdianæ Virginis reclusæ Ordinis Vallisumbrosæ*. Quid clarius? Et huiusmodi testimonio quod aliud vnquam excogitari poterit, & adduci maioris roboris ac firmitatis? Quid autem respondendum sit Alicui Auctori dicenti, Sanctam Verdianam nullius Religionis fuisse, adeoque vt Eremiticam vitam degentem concedi debere Eremitanis Sancti Augustini, ad quos ex priuilegio spectat omnes Eremitas colligere,

patet clarè reſponſio ex dictis, & abſolutè negatur ſuppoſitum, cum ſit omnino falſum: Vt autem redeamus ad eius Beatum tranſitum Campanæ ſpontè ſonantes illum publicarunt, concurſu proinde Cleri, & Populi ad cellulam facto, & muro diruto Sacrum eius corpus repertum eſt in genua erectum ſublatis in cælum manibus, & miram ſpirans Cæleſtis odoris fragrantiam, quod pro confluentium ſolatio ſexdecim dies inhumatum inſignibus interea miraculis illuſtratum fuit; At etiam viuens eximia miraculorum virtute Verdiana non caruit, nam Aquam prodigiosè in vinum aliquando conuertit, fractum Pueri genu, & Brachium ſanauit, cæcam puellam manu impoſita videntem reddidit, aliaque plura patrauit miracula, quibus diligenti perquiſitione inſpectis Clemens VII. Pontifex Maximus iam ex tunc Officio Eccleſiaſtico coli mandauit, quod poſteà ſub alio Clemente ſummo Pontifice nempè Decimo, nouo eſt auctum Priuilegio cùm lectionibus proprijs approbatis à Sacra Rituum Congregatione ſub die 4. Martij 1673. vt innuimus ſupra.

VII.

Vincentius Monachus Vallumbrosanus, & Abbas dignissimus Monasterij Sancti Pancratij Florentiæ, vt habetur in Monumentis eiusdem loci, & præcipuè ex inscriptione Tumuli, subtus quem iacet sepultus, vixit sæculo proximè præterito cum fama insignis Theologi; Vnde in Vniuersitate Doctorum Collegij Florentini, & ipse Laurea doctorali Donatus, inter alios Sapientiæ Candidatos resplenduit veluti inter stellas Luna minores; Nec defuerunt in illa celeberrima Academia ab ipsa fundationis eius origine vsque ad hęc nostra Tempora alij successiuè ex ordine Vallumbrosano Doctores Laureati Clarissimi, qui resplenduerunt veluti gemmæ in illa sapientum pretiosa corona, exponam autem hic nomina eorum, quos ego met cognoui, & per Ordinem professionis sunt dispositi.

Archiuia Religionis, & Mamoriæ S. Pancratij Florentiæ.

P. Magister D. Ascanius Tamburinus de Marradio Auctor operum de iure Abbatum, & Abbatissarum, de quo littera A.

P. Magister D. Iulianus Rillius de Puppio, de quo littera I.

P. Magister D. Alexius de Melioribus Florentinus, de quo iam dictum est littera A.

P. Magiſter D. Tyberius Petraccius Vaſtæ Vir Eruditionis, in Eloquio facundus, & amænus, iam olim Magiſter Monachorum Vallisumbroſæ, deindè Abbas, & Procurator Generalis in Romana curia de an. 1673. Poſteà in Ethruriam reuerſus alijs præfectus Abbatijs, tandem de anno 1683. deceſſit in Monaſterio S. Fidelis de Puppio.

P. Magiſter D. Nazzarius Anſettus Florẽtinus, qui præter ſcientias ſpeculatiuas apprimè calluit etiam Rethoricã, & humaniores litteras, quas Magiſter Monachorum docuit in Archicœnobio Vallisumbroſæ, & inſuper delectabatur Muſica, quàm Artem in tam præcellenti gradu ipſe tenuit, vt ſupra omnes Ethruriæ Baritonos demulceret aures Audientium Nazzarij ad numerum modulata, & ſonora vox, Obijt Florentiæ in Monaſterio Sancti Pancratij circa an. 1685.

P. Magiſter D. Manſuetus Briſoni Abbas ad præſens Sancti Bartholomæi de Ripulis, & Depoſitarius Generalis, aliàs etiam Depoſitariam, & quidem laudabiliter ſemper adminiſtrauit Vir Ingenuus, & Amabilis, vt omnibus patet.

P. Magiſter D. Rodulphus de Foraſaxis, de cuius laudibus ſupra littera R.

P. Ma-

P. Magiſter Federicus de Federicis Abbas, de quo iam egimus littera F.

P. Magiſter D. Leo Strozza nunc Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Epiſcopus Piſtorienſis, & Pratenſis, de quo diximus littera L.

P. Magiſter D. Arſenius Barboni Abbàs Titularis Vir ſcientificus, Artis Oratoriæ valdè peritus, & concionator egregius, olim Lector in ſtudio Montiſcalarij.

P. Magiſter D. Valentinus Calzolarius Vir apprimè eruditus, iam Secretarius Ordinis, poſtea Abbas de Titulo, hinc de Gubernio plures Gubernauit Abbatias, & fuit Viſitator Generalis, nunc eſt Abbas Archicœnobij Valliſumbroſæ, cuius laudes attigimus in Elogio D. Valentini Balduini.

P. Magiſter D. Michael Angelus Bambaginus olim Lector Collegij Sancti Mercurialis de Foroliuio, deindè Sanctæ Praxedis de Vrbe, mox Abbas Titularis, indè Abbas Sancti Fidelis de Puppio, ſucceſſiuè Sancti Mercurialis de Foroliuio, Sancti Sepulchri de Aſtino, Sanctę Reparatæ de Marradio, Sancti Michaelis de Furculis, & nunc præeſt inſigni Abbatiæ Sancti Michaelis de Paſſiniano,

& eſt

& est assiduus adhuc in studijs suis.

P. Magister D. Siluanus Catanzi de Clusentino acutissimi vir ingenij primarias ascendit Religionis Cathedras, nempè illam studij Sanctæ Praxedis de Vrbe, & illam Passinianensis Abbatię, deindè electus Abbas gubernauit Abbatiam Sancti Lanfranci propè Ticinum, mox illam Sanctę Reparatæ de Marradio, indè creatus fuit Visitator Generalis, quo functus officio, Abbas & Oeconomus eligitur Sanctæ Mariæ de Susinana, vbi est in præsenti.

P. Magister D. Vincentius Ticciati Camerarius in præsenti Sancti Pancratij, Concionator iam non vulgaris, & ad dicendum valdè aptus.

P. Magister Ioannes Iacobus Caleppius Bergomensis iam Secretarius Ordinis, indè Abbatialis Prior, seu Titularis, postmodum Abbas Sanctæ Mariæ de Galloro propè Ariciam, indè Sancti Sepulchri de Astino in Patria, cui nunc præest.

P. Magister D. Paschalis Pagnani Romanus Lector S. Theologiæ per ferè triplicata lustra in Collegio Sanctę Praxedis de Vrbe ad scientias speculatiuas à natura factus in earum perspicacissima intelli-

gen-

gentia vix habet parem.

P. Magister D. Ambrosius Genouini Magisterio Passinianensi pluribus ab hinc annis applicatus Vir Amplissimæ mentis, & adeò vastæ Eruditionis, vt nulla ferè sit Eruditio, quæ ipsum prætereat.

P. Magister Ioannes Paulus Bimbacci Florentinus Lector iam S. Pancratij Florentiæ in iuuentutis flore decessit an. 1684.

P. Magister Guilielmus de Nobilibus Nobili certè dotatus Ingenio, & ipse florida ætate Fato cessit.

P. Magister D. Carolus Melani Florentinus Lector Sancti Pancratij vix decoratus laurea migrauit è vita an. 1686.

P. Magister D. Alphonsus Foggini Lector Sanctissimæ Trinitatis viuit viuido donatus intellectu, & varijs ornamentis plurium facultatum satis decorus.

P. Magister D. Michael Prati de Foroliuio olim dignus Lector Sacræ Theologiæ in Collegio Sanctæ Praxedis de Vrbe, cùm ibi ægrotare cæpisset, nec conualere posset, opus ei fuit cessare à studijs, & ad natiuum aërem pergere de consilio Medicorum, si fortè ibi conualesceret, conualuit tandem, & Magisterio

Noui-

Nouitiorum posteà præficitur in Tyrocinio Sanctissimæ Trinitatis Florentiæ, at non multò post iterum ab infirmitatibus suis aggressus, & præcipuè à doloribus Neofriticis, intra breue tempus occubuit. Viuere tamen adhuc videtur in Germano Fratre suo D. Mercuriale Prati, qui licet Laurea non fuerit Donatus, verè tamen Doctor ob eximiam doctrinam eius ab omnibus iure salutatur: Fuit Magister Collegij Sancti Mercurialis in Patria, deinde Sanctæ Praxedis in Vrbe, postea Secretarius Ordinis, & Præsul Vallumbrosanus, in humanioribus litteris apprimè excultus,& concionator præclarus, & cum in sermocinationibus suis sit valdè amænus, ac floridus meritò allusiuè etiam ad cognomentũ eius dicitur ab aliquibus vulgari Idiomate *Il Prato Fiorito*.

Aliqui ex præcitatis Laureatis Doctoribus Vniuersitatis Florentinę fuerunt Discipuli vel Romę in Collegio S. Praxedis, vel in Passinianensi Lyceo, D. Angelici Bigazzi Magistri Sapientissimi, qui Cultor præcipuus Doctoris Angelici, in Via Diui Thomę semper incessit. Abstinuit tamen ipse

à Lau-

à Laurea Doctorali proferendæ causa humilitatis, sicuti ex eodẽ motiuo posteà electus Abbas de Gubernio infra breue tempus nuncium remisit susceptæ Administrationi, & solo retento Abbatis Titulo Eremiticam Vitam professus est in solito Eremitorio apud Vallem Vmbrosam, sed cum scriptum sit qui se humiliat exaltabitur, en iterum euocatur etiam per Pontificium Diploma ad Gubernandam insignem Abbatiam, quæ hisce nostris diebus à fundamentis erigitur cum assignatione congrua reddituum propè Portum Liburni in loco *Valle Benedetta* Nuncupato, à Pietate Summa Serenissimi Magni Ducis Ethruriæ Cosmæ III. vbi primæui Instituti Instauranda est Monastica Disciplina iuxta rigorem Regulæ Benedictinę, & Constitutiones Vallisumbrosæ, adhibitis ad hoc gloriosum opus varijs alijs de Monachis Vallumbrosanis à desiderio strictioris Vitę adductis, sed præcipuus eius Collega eminet inter cæteros D. Columbinus Bassi iam Aulicus eiusdem Serenissimi Magni Ducis posteà sex ab hinc annis Monachus Vallisumbrosæ nunquam satis laudatus ob insignem eius modestiam, &

Humilitatem, ob Religiosissimos mores, & Sanctimoniam Vitæ.

VIII.

Vitalis Magazzini Monachus Vallisumbrosæ præter Religiosos mores, quibus erat imbutus, sicuti & aliarum facultatum non fuit ignarus, sic in primis calluit Artem Agriculturæ, in qua materia publicæ consulens vtilitati librum edidit vtilissimum præcipuè pro Colonis Ethruriæ lingua materna, cui titulus est huiusmodi. *Coltiuatione Toscana, nella quale s'insegna quanto deua farsi per coltiuare le Possessioni secondo l'vso Toscano, & per gouernare diligentemente vna Casa di Villa, stampata in Venezia apppresso Euangelista Buchino l'Anno 1625.* Iterum autem secundò, & tertiò fuit posteà typis mandata, ne deficeret Methodus adeò vtilis huiusmodi Auctoris, quem omnes in Tuscia habent præ manibus. Non serunt neque metunt, non plantant, neque rigant nisi prius adeant librum Vitalis Magazini, & nisi prius benè notent Regulas in varijs respectiuè circumstantijs ibi præscriptas, iuxta quas siue cædendæ sint Arbores, siue Plantandæ, siue transplantandæ sint vites, siue seminanda sint Olera, siue colendi Flores, &

Fru-

Fructus cuiuſcumque generis adamuſſim operationes ſuas attemperant, & in omnium ore per agros, & Villas reſonat nomen Vitalis Magazzini in tota Ethruria celeberrimum.

Varijs in Concilijs interfuerunt Abbates non pauci, Viri doctiſſimi ex ordine Vallumbroſano, & in Concilio Piſis coacto apud Binium notantur infraſcripti, videlicet.

D. Bernardus Abbas Monaſterij Sanctæ Mariæ Valliſumbroſæ.

D. Ioannes Abbas de Vaiano de Prato Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Marcus Abbas Sancti Saluij propè Florentiam Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Baltaſſar Abbas Sancti Michaelis de Paſſiniano Ordinis Valliſumbroſæ.

D.N. Abbas Sancti Michaelis de Piſtorio Ordinis Valliſumbræ.

D. Franciſcus Abbas Sanctæ Mariæ de Pacciano Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Antonius Abbas Sancti Pauli de Razuolo Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Guiſpardus Abbas Sanctiſſimæ Trinitatis de Florentia Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Franciſcus Abbas de Ripulis Ordinis Valliſumbroſæ.

D. Ricciardus Abbas Sancti Pancratij de Florentia Ordinis Vallisumbrosæ.

D. Ioannes Abbas Sancti Petri de Muſceto Ordinis Vallisumbrosæ.

D. Iacobus Abbas Sancti Donati de Senis Ordinis Vallisumbrosæ.

D. Bartholomæus Abbas Sancti Fidelis de Puppio Ordinis Vallisumbrosæ.

In Concilio Florentino præter Abbatē Placidum de Pauanellis, qui fuit Secretarius eiuſdē Concilij, interfuerunt alij decē Abbates Vallumbroſani, vt apparet ex eorum ſubſcriptionibus in fine ſeſſionum poſitis apud Binium Tom. 4. parte 1. pag. 68. & qui ſe ſub ſcripſerunt Abbates ſunt ſequentes.

Ego Benedictus Abbas de Coneo me ſubſcripſi.

Ego Iacobus Abbas S. Saluij me ſubſcripſi.

Ego Aloyſius Abbas Sancti Pauli de Razzuolo me ſubſcripſi.

Ego Benedictus Abbas Sancti Pancratij me ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Abbas Sanctæ Marię de Pacciano me ſubſcripſi.

Ego Ioannes Guarentius Abbas Sancti Bartholomæi de Ripulis me ſubſcripſi.

Ego

Ego Bartholomæus Abbas Sanctæ Mariæ de Bibona me ſubſcripſi.

Ego Lucas Abbas Sanctiſſimæ Trinitats in Alpibus me ſubſcripſi,

Ego Iacobus Abbas Monaſterij Sancti Petri Maſſanenſis Diœceſis me ſubſcripſi.

Ego Bertaccius Abbas Sanctæ Mariæ Montis Plani me ſubſcripſi.

Quæ omnes Abbatiæ ſunt Congregationis Valliſumbroſæ, vt apparet in Catalogo Abbatiarum Ordinis appoſito ab Eudoxio Locatelli in calce ſui libri.

Finis Catalogi VIRORVM ILLVSTRIVM.

Protestatio Auctoris.

LEctor aduerte. In hoc Catalogo Virorum Illustrium Congregationis Vallisumbrosæ nonnulla attingi de aliquibus, qui licet cum fama Sanctitatis obierint, non tamen adhuc cultum à Sede Apostolica, seu Sacra Congregatione Rituum obtinuerunt, & de his aliqua narrantur, quæ eisdem aliquem Sanctitatis gradum videntur adscribere, sicut etiam alia, quæ cum Vires humanas superent Miracula videri possunt, aut præsagia futurorum, & si quæ sint alia beneficia huiusmodi. Verùm hæc omnia de supradictis meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam quæ à sola suorum Auctorum fide gradus obtineant, atque adeò non aliter, quam humanam historiam; proindè Apostolicum Sacræ Congregationis, Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, integrè, atque inuiolatè iuxtà declarationem eiusdem Decreti, à Fel. Recordat. Vrbano Papa VIII. Anno 1631. factum, seruari à me omnes intelligant, nec velle me cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes illis arrogare, vel augere, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinent. Hoc tàm sanctè profiteor, quàm decet, eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi Filius cupit, & ab ea in omni sua actione, & scriptione dirigi.

INDEX

INDEX VIRORVM ILLVSTRIVM,

Qui continentur in hoc Catalogo.

Per Ordinem item Alphabeticum dispositi sub vnaquaque Classe;

CLASSIS

BEATORVM, ET SANCTORVM.

Beatus

Ordi-

Duo Summi Pontifices Vallumbrosani.

Cardinales Ordinis Vallisumbrosæ.

Episcopi, & Archiepiscopi Ordinis Vallisumbrosæ.

Ioan-

Alij Generales ex Insignioribus præter eos, qui notati sunt, vel inter Beatos, & Sanctos, vel inter Episcopos, aut Cardinales.

Vene-

Vene-

Alij Abbates, & Monachi Viri Illustres promiscuè.

Hia-

Pla-

LAVS DEO.

Errata		*Corrige*
pag. 16.	coaptatus	cooptatus
pag. 23.	accipisse	accepisse
pag. 76.	Delectabantur	Delectabatur
pag. 77.	opposita	apposita
pag. 78.	Capilo	Capitulo
pag 80.	dedicisse	didicisse
pag. 74.	opposita	apposita
pag. 86.	præ cæteros	prę cæteris
pag. 100.	decerpisse	decerpsisse
pag. 101.	inditus	indutus
pag. 102.	lectus	electus
pag. 109.	sim minus	sin minus
pag. 109.	adeut	adeout
pag. 111.	nutrietur	nutriretur
pag. 133.	Neapolis	Neapoli
pag. 146.	sommo	somno
pag. 150.	Proprocessu	Processu
pag. 152.	honoratam	ornatam
pag. 164.	1075.	1073.
pag. 172.	da	de
pag. 188.	Centilitiæ	Gentilitiæ
pag. 209.	scietificum	scientificum
pag. 220.	dicisur	dicitur
pag. 280.	videtur	videretur
pag. 280.	Regnum	Regum
pag. 291.	turpidinem	turpitudinem
pag. 293.	Conuersis	Conuersi
pag 298.	Rito	Ritu
pag. 297.	Imprimis	In primis
pag. 300.	Virtitutum	Virtutum

336

00564
7414